VITA BEATI JOANNIS FRANCISCI REGIS È SOCIETATE JESU. SCRIPTA...

Guillaume Daubenton

VITA BEATI JOANNIS FRANCISCI REGIS

è

SOCIETATE JESU.

Scripta Gallicè

A

R. P. DAUBENTON

ex eadem Societate;

Et in latinum ſermonem converſa ab ejuſdem Societatis Sacerdote.

PRAGÆ, Typis Univerſitatis Carolo-Ferdinandeæ in Collegio Societatis JESU ad S. Clementem, per Joannem Georgium Staub Factorem, Anno 1718.

CLEMENTI XI.
PONTIFICI MAXIMO.
SANCTISSIME PATER.

UT *opusculum hoc offerre* SANCTITATI VESTRÆ, *ad ejus pedes humillimè provolutus, ausim, multa me hortantur. Primùm quòd hic libellus vitam & res gestas præstantis Missionarii complectitur, cui, perinde ac*

SANCTITATI VESTRÆ, *contigit Joannis Francisci nomen in sacro fonte sortiri: deinde, quòd solitos tribui cælitibus in Ecclesia Catholica honores eidem ipsa novissimè decrevit. Quarum virtutum contractam imaginem in Beato viro cernet, illæ splendorem suum mutuantur à* SANCTITATIS VESTRÆ *approbatione, quâ destitutæ forsitan in tenebris & oblivione jacuissent. Quæ verò leget miracula, quamvìs omnibus veritatis notis insignita sint, fidem tamen integram apud Fidelem populum, nisi per Apostolicam auctoritatem confirmata, non invenirent. Itaque si jam ejus imagines aris impositæ coluntur, si ejus laudibus templa personant, si ejusdem memoria in benedictione posthac semper erit, totum hoc debebit Decreto* SANCTITATIS VESTRÆ, *à qua relatus est in eorum numerum, quos gloriosâ Beatorum appellatione ornamus. Ceterùm hoc beneficium eò pluris à Gallia fieri par est, quòd egregius iste Missionarius solus ex ea gente sit, quem à tribus ampliùs seculis Romana Sedes altaribus imposuerit.*

Sed licebitne mihi SANCTISSIME PATER, *dicere quod sentio? Dum servi DEI gloriæ consuluit* SANCTITAS VESTRA, *suæ quoque quodammo-*

do

do consuluit. *Nemo quippe vitam Beati viri leget, quin expressas in ejus virtutibus,* CLEMENTIS XI. *virtutes agnoscat: in illius eximia probitate bujus mores integerrimos; in eo bello quod ille perpetuum & acerrimum gessit cum improbis, imaginem ejus belli, quod* DEI *& Ecclesiæ hostibus inferre* SANCTITAS VESTRA *non cessat: in illius assidua contentione ac studio indefesso revocandi hæreticos ab errore, constantiam & fortitudinem qua nostrorum temporum hæresim opprimere studuit: in illius erga pauperes tenerrima caritate, qua dum vixit eos ubique complexus est, paternam* VESTRÆ SANCTITATIS *pietatem, quâ non solùm ipsorum calamitatibus commovetur, verùm etiam easdem insigni, ac pæne prodiga, liberalitate sustentat, nec dubitat æs alienum, ad ferendam miseris opem, contrahere.*

Beatus Missionarius in deliciis semper habuit obire ministeria vel infima, ut pauperibus inserviret; quis verò, dignum quod Angeli pariter & homines admirentur, spectaculum esse neget, videre accumbentes ad mensam summi Pontificis pauperes vel maximè nauseosos, qui-

bus ministret ipse, & abjectissima obsequia lætus exhibeat? Ad quem facilior unquam aditus extitit? cujus unquam aures fuerunt apertiores ad audiendos mortales omnium miserrimos? cujus manus promptiores, ad eosdem sublevandos? Ea P. *Joannis* Francisci *Regis comitas erat in congressu familiari, nemo ut ejus illecebris resisteret; quis privatim auditus à* Sanctitate Vestra, *non suavissimè victus ejusdem blandissima benignitate discessit? Quis de* CLEMENTE XI. *dictum veriùs non fateatur, quod olim Petrarcha de* CLEMENTE VI. *prædicabat? Nulli major inest clementia, nomen ab ipsis Dignum rebus habet.*

Beatum Regis invicto quodam animi robore, ac plena cælestis unctionis lenitate superi ornaverant, qua gemina dote instructus sic Euangelica exercebat ministeria, ut regeret animos arbitratu suo, & imperium quoddam in eos obtineret. Quis hactenus Sanctitatem Vestram *audivit verba de superiore loco facientem, quin victricem animorum facundiam miraretur, nec non plenam ardoris, gratiæ, & dignitatis actionem, quâ insignes illas Homilias pronun-*

nuntiat, in quibus eruditio, pietas, eloquentia ſic inter ſe certant, ut meritò dubites cuinam primas deferri oporteat.

Apoſtolicus viri ſancti labor ſæpius jucundiúſque verſatus eſt in explicanda pueris & populo Chriſtiana doctrina; quis verò non ſuaviſſimè afficitur, aut cui præ gaudio collacrymari non lubet, cùm TE, SANCTISSIME PATER, *intuetur à ſolio tuo deſcendere ad exponenda rudibus agreſtium liberis prima religionis elementa, illos interrogare, ùt quilibet è vulgo Miſſionarius ſolet, illis manu propria diſtribuere, quæ valere poſſint ad teneras mentes amore doctrinæ Euangelicæ, ejúſque cognoſcendæ ſtudio, inflammandas? Hæc procul dubio ſua ſponte venient in mentem iis, qui opuſculum hoc evolvent. Cùm verò cogitabunt quàm ſibi durus aſpérque fuerit vir ſanctus, occurret ſtatim ipſis conſtans illa ſeveritas* SANCTITATIS VESTRÆ, *quâ ſibi denegat, quæ moderatiſſimus quiſque licere ſibi putat: illa victoria, qua ſe ipſam adeò fortiter vincit, dum caritatem erga eos, quos habet in vita conjunctiſſimos & amantiſſimos, tam ſanctis arctíſque limitibus circumſcribit: aſperitas il-*

la, & in cultu victúque duritas, qua ſibi non tantùm ſupervacanea ſed etiam neceſſaria ſubducit. Cùm infatigabilem Miſſionarium legent vires immenſis attriviſſe laboribus, quorum tandem oppreſſus pondere ſuccubuit; illico animum indefeſſa SANCTITATIS VESTRÆ *contentio, quâ graviſſimis negotiis ità ſe totam impendit, ut variis incommodis tentata non ſemel fuerit ejus valetudo, nec levem Orbi Chriſtiano ſolicitudinem ac metum injecerit. Nec dubium quin tam aſſiduo labore fracta penitùs concidiſſet, nisì DEUS Eccleſiæ ſuæ invigilans valetudinem tam pretioſam, tam neceſſariam continuo propè miraculo ſartam tectámque conſervaſſet.*

Quàm juſta, quàm ampla ſurgeret mihi laudum ſeges, ſi perſequi fuſiùs aggrederer illam oris majeſtatem tam ſuavi humanitate temperatam, ut amorem pariter & venerationem conciliet? illam amplitudinem mentis, & ſublimitatem, quæ in minimis juxtà & maximis rebus elucet? illam perſpicacitatem, quæ omnia ſic pervadit ac penetrat, nihil ut ipſam effugiat? artem illam ſcribendi egregiè ac dicendi, in qua

ſupe-

ſuperiorem habet neminem? illam eruditionis copiam, Latinas litteras & Græcas, ſacras & profanas, antiquas recentéſque, complexam? Nè ſingillatim hæc omnia perſequar excludor Epiſtolæ anguſtiis: tum autem iſtas naturæ præclaras dotes omittendas hìc duxi, quæ, ſi humana ſpectentur ornamenta, magnum efficerent Principem; & eas duntaxat commemorandas, quæ cæleſtis gratiæ partus cùm ſint, hominem Numini acceptum, ac MAGNUM CORAM DOMINO reddunt; & quibus SANCTITAS VESTRA ſimilem ſe illi præſtat, quem aris colendum impoſuit.

Ea ſunt SANCTISSIME PATER, quibus adductus, magnopere optavi, ut auguſtum SANCTITATIS VESTRÆ nomen extaret in hujus lucubrationis limine. Non ſolùm ut heroicis facinoribus, quæ referuntur in hac Vita, ponderis plus accederet; verùm etiam ut palàm appareret morum ac virtutum ſimilitudo, quæ inter SANCTITATEM VESTRAM, & BEATUM JOANNEM FRANCISCUM REGIS intercedit. Denique lætatus ſum oblatam eſſe mihi occaſionem omnibus teſtificandi ſingularem SANCTITATIS

VESTRÆ *erga me benevolentiam ; ſimúlque memorem & gratum pro ſummis ejus in me beneficiis animum, hoc qualicumque obſequii & venerationis meæ pignore profitendi.*

SANCTISSIME PATER,
SANCTITATIS VESTRÆ

Humillimus & obſequentiſſimus
ſervus, ac filius,

GUILLELMUS DAUBENTON,
è Societate JESU.

PRÆFATIO

QUæ me impulerint causæ ad novam hanc Beati Joannis Francisci Regis Vitam conscribendam, in quo elaboraverim ut quàm accuratissimè scripta prodiret, non alienum fore putavi, imò necessarium, explicare.

Ut servi DEI res gestas memoriæ proderem primùm suasit mea peculiaris quædam erga illum pietas, cui cùm planè intelligerem, plurimis obstrictum esse me beneficiis, ejus ope ac patrocinio impetratis, faciendum duxi, ut hoc publicum grati & memoris animi mei monumentum extaret. Speravi etiam, cùm cresceret in dies catholicorum erga eundem religiosa veneratio, meam ipsis probatum iri diligentiam in vindicandis ab oblivione variis facinoribus heroicis, quæ priscis ejus Vitæ scriptoribus exciderant.

Hæc tertia ejus editio numeratur. Omnium prima vulgari cœpta est anno 1650. decem annis post obitum servi DEI. P. Claudius *la Brouë* ejus auctor, P. Joanne Francisco Regis magistro usus, cum eodem postea familiariter in Societate vixerat. Non contentus iis, quæ per se ipse cognoverat, consuluit illos, qui testes extiterant laborum viri sancti Apostolicorum in Missionibus, & qui cum eodem in collegiis versati fuerant. Rescire singula nominatim studuit ex iis, quos ille superiores, confessarios, & amicos interiores, habuerat. Scribendi ratio sincera, & candida, sinè pigmentis & fuco, non levi argumento videtur esse ad probandam rerum veritatem, quas & diligenter collegit, & suis quasque circumstantiis accuratè vestit.

Alteram Beati Regis Vitam edidit P. Antonius *Bonnet*, è Societate nostra, eruditus scriptor, & aliis ingenii, doctrinæque laudatis monumentis clarus. Hic, ut certiùs omnia propiúsque cognosceret, testatur sibi satis visum non fuisse, si audiret quæ à plurimis hominibus Societatis Beato viro intimis, narrabantur; sed præterea operam dedisse ut ea lustraret ipse loca, quæ sanctus Missionarius laboribus Euangelicis excoluerat. Styli, quo scripta est hæc Vita, nitorem purissimum & elegantiam jure laudaveris: at brevitatem meritò reprehendas, quæ legen-

tium ſpem ac deſiderium non explet. Pleræque res geſtæ ſervi DEI geminum hunc ſcriptorem latuere. Siluerunt, exempli causâ, Miſſiones ab eo peractas in diœceſibus Nemauſenſi, & Montis-peſſulani; eundem ſocium adſcitum ab Epiſcopo Vivarienſi, diœceſim ſuam luſtrante: ereptam Calvino, & redditam Eccleſiæ catholicæ ejuſdem operâ, illuſtrem feminam Ludovicam *de Romezin*: collectos fructus admirabiles è prædiis Comitis *de La Mothe Brion*; nec non è pluribus oppidis, pagis, & vicis agri Vivarienſis: demum nihil eorum ſingillatim ſunt perſecuti, quæ viri ſancti obitum commendârunt. Satìs habuere quæ ad ejus Miſſiones pertinebant in univerſum narrare, nulla facta mentione annorum, aut locorum, in quibus fuerunt celebratæ. Quid quod pulcherrima, quæ vitam ejus præcipuè illuſtrant, facta, ſinè ordine referuntur, nec membra ſingula, inter ſe apta & coagmentata in unum quaſi corpus Hiſtoriæ coaleſcunt; adeò ut ab eo tempore quo theologiæ operam dedit, uſque ad obitum, nihil temporibus locíſque diſtinctum; omnia inter ſe permixta, & generalibus titulis comprehenſa, in eundem quaſi acervum conjiciantur.

Id potiſſimùm cauſæ fuit cur tertiam viri Beati Vitam, ceteris ampliorem, & magìs diſtinctam, componendam ſumerem. Cùm agebatur de illo in Beatorum numerum referendo, data mihi à ſuperioribus meis fuit provincia ut negotium hoc, jam inchoatum, promoverem. Magna mihi per eam occaſionem oblata ſunt ſcribendi adjumenta, quæ hiſtoricis aliis non adfuerunt. Acta Canonizationis, ſumma fide & auctoritate confecta, quæ diu penès me habui, magnam mihi lucem attulerunt; nec paucas vitæ partes à duobus primis ſcriptoribus prætermiſſas, docuerunt; quippe teſtes, quorum teſtimonia in iiſdem Actis referuntur, in omnibus minutatim recenſendis diligenter & fusè verſati ſunt.

Iidem duo hiſtorici nè obiter quidem attigerant à ſecta Calviniana traductam ad Catholicorum partes lectiſſimam feminam Ludovicam *de Romezin*: id quemadmodum ſingulatim geſtum fuerit, ex ipſius oratione, quam pro teſtimonio dixit accuratè, cognovi. Miſſiones Vivarienſes vix nominaverant;

earum

earum circumſtantias, modum, ordinem, fructum, didici è teſtimonio rite perſcripto Comitis *du Fay de la Tour Maubourg*. Auditus quoque inter teſtes Marlenſis parochus omnia, etiam leviſſima, expoſuit, quæ contigerunt in tribus Miſſionibus, quibus vigilantiſſimi hujus paſtoris parœciam Beatus Regis erudivit. De illis altum apud primos ſcriptores ſilentium; itémque de uberrima meſſe, quam collegit ex oppidis Fay, Montefalconis, Monteregardo, ſancti Agripani Fano, aliiſque locis. Ex Anicii civibus permultis genere ac probitate ſpectandis, diſtinctiſſimè cognovi, quæcumque ad Euangelicam ejus in hac urbe vitam, & obitum in pago Lalovefco pertinent. Unum ſanè in ejuſmodi teſtium narrationibus deſideratur, quòd dum longam texunt Miſſionum imaginem, annum ferè omittunt, in quem ſingulæ Miſſiones incidunt. Huic malo remedium petitum eſt è tabulario Romanæ Profeſſorum Domûs. Cùm enim in eo diligenter aſſerventur catalogi, quos Provinciarum præſides ad Præpoſitum Generalem quotannis mittunt, & in quibus miniſteria & officia Patrum cujuſque domicilii accuratiſſimè perſcribuntur; non difficile mihi fuit reperire quo in munere, unoquoque anno, P. Regis fuerit occupatus, ac proinde ſuum cuique Miſſioni, & actioni, tempus aſſignare. Id exemplo uno planum fiet. Aliqui teſtes retulerunt à ſtrenuo Miſſionario multa & tolerata fuiſſe fortiter, & geſta præclarè, in oppidis Comitis *de la Mothe*. Rem nullâ temporis notâ conſignârunt. Ex iſtis catalogis intellexi hoc in annum 1636. cadere, quo vir ſanctus inſtituit Miſſionem Cheylardi, & Lachai, quæ oppida erant in Comitis ditione.

Non hunc duntaxat fructum è tabulario Romano cepi. Multas in eo præterea reperi litteras Provincialium, & aliorum P. Regis præſidum, in quibus exactam Præpoſito Generali Societatis rationem ejus laborum reddunt. Ingentis theſauri locò duxi aliquot P. Petri *Verthamon*, Rectoris collegii Anicienſis, epiſtolas, in quibus copioſè denarrat ſucceſſum admirabilem, quo DEI benignitas ſanctos indefeſſi operarii conatus fortunavit, cùm Vivarienſem Epiſcopum, in ejus diœceſeos luſtratione generali, comitaretur. Ex ipſis denique Regis litteris re-

ſcivi quo ſtudio, quàm ſæpe iteratis precibus, Miſſionem Canadenſem à Præpoſito Societatis flagitârit.

Sed nihil uſui magìs & voluptati mihi fuit quàm P. Antonii *de Mangeon*, Jeſuitæ Lotharingi, ſcriptum, ipſius manu exaratum: qui, poſt aliquot annos cum P. Regis Anicii tranſactos, ut ſuam pietatem ejus virtutum recordatione accenderet, retulerat in libellum illuſtriores, & heroicas actiones, quas in eodem obſervaverat.

His omnibus ſcriptis, teſtimoniis, & litteris, inſtructus multa quæ ſparſim & indigeſta, ſinè locorum ac temporum ordine in duplici, cujus mentionem feci, vita legebantur; partim ſuum in locum redegi, partim alia aliis admovi, aut ab aliis ſejunxi; quædam anguſtioribus incluſa ſpatiis, latiùs fudi: indicatas duntaxat à prioribus hiſtoricis Miſſiones plurimas, diſtinctiùs evolvi, & ſuum cuique annum ac locum aſſignavi. Si quibuſdam videbitur ſcribendi ratio minùs elaborata & perpolita; illud affirmare certè poſſum, ut eſſet ad omnem veritatis normam exacta, nihil à me prætermiſſum fuiſſe.

Porrò, cùm ſit ea ſeculi noſtri labes, ut plerique laudi ſibi ducant à ſancta majorum noſtrorum ſimplicitate, & pia credulitate recedere, erunt fortaſſe quibus non placebit congeſta eſſe in hanc hiſtoriam tot miracula, deprecatione ſervi DEI, & apud DEUM meritis, edita. Ego verò nè dimidiam quidem partem eorum retuli, quæ certiſſimis argumentis & locupletiſſimis auctoribus habeo comprobata; ſed iis recenſendis conſultò abſtinui ob eam duntaxat cauſam, nè creſceret in immenſum opus, & rerum ſimilium parùm grata narratione laboraret. Neque enim arbitror habendam eſſe rationem ullam iſtorum, qui dum fortis & excelſi laudem ingenii captant, prodigiis omnibus fidem abrogare ſe profitentur, quaſi eſſet *abbreviata manus Domini*, *Iſai. 59.* aut honorandi ſanctos ſuos in terris curam DEUS abjeciſſet. Sanctorum vitæ viris probis ac piis ſcribuntur, ac proinde ipſorum judiciis & palato ſerviendum.

MI-

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS.

Præpositus Generalis Societatis JESU.

CUm Vitam Beati Joannis Francisci Regis è Societate Jesu à P. Guillelmo Daubenton ex eadem Societate, Gallicè scriptam, & in Latinum sermonem conversam ab ejusdem Societatis Sacerdote, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; potestatem facimus, ut typis mandetur; si iis, ad quos spectat, ità videbitur. Cujus rei gratiâ has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 4. Julii 1717.

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS.

L.S.

Facultas imprimendi Vitam Latinam B. J. F. Regis data à Magistro Palatii Apostolici.

Die 24. Junii 1717.

Imprimatur extra Urbem servatis servandis. Datum Romæ ex ædibus nostris in Palatio Apostolico Quirinali die & anno supradicto.

GREGORIUS SELLERI, Ordin. Prædicatorum S. P. A. Magister.

ERRATA.

Dedicationis *paginâ 6. lin. 3.* legen - *corrige:* legent.
Vitæ *pag. 4. lin. 18.* eminentissimam, *corrige:* amœnissimam.
Pag. eâdem. lin. 5. à fine: deteriorem, *corrige:* deteriorum.
Pag. 12. lin. 6. Auscorum, *corrige:* Ausciorum.
Pag. 34. lin. 18. aut vitia, *corrige:* aut vita.
Pag. 54. lin. 3. Non dum, *corrige:* Nondum.
Pag. eâd. lin. 6. ubi se felicem ob patientiæ, *corrige:* ubi felicem patientiæ.
Pag. 73. lin. 15. & 16. Modo ac scirent, *corrige:* Modo scirent.
Pag. 111. lin. 4. à fine, & alibi: percrebuerat: *corrige:* percrebruerat.
Pag. 112. lin. 7. à fine: eúmque, *corrige:* cúmque.
Pag. 126. lin. 22. ipsiisque, *corrige:* ipsisque.
Pag. 138. lin. 15. æternitatis beatæ, *corrige:* in æternitatis beatæ.
Pag. 142. lin. 11. à fine: Turonium, *corrige:* Turnonium.
Pag. 177. lin. 23. valedixit, *corrige:* vale dixit.
Pag. 188. lin. 11. accmomodat, *corrige:* accommodat.
Pag. 197. lin. 20. & 21. confirmarunt, *corrige:* confirmavit,

VITA
BEATI JOANNIS
FRANCISCI REGIS.
Liber I.

VIri Apostolici vita, quam litteris mandare aggredior, ea continet, quæ valere potiùs ad excitandam legentium pietatem possint, quàm ad oculos novitate rerum gestarum & magnitudine perstringendos. Non illustre dabunt spectaculum subdita Christi jugo regna barbara, non hæretici Reges cum totis nationibus ad Ecclesiam revocati. Defuit sancto Missionario ille operum Apostolicorum & laborum splendor; at nulla virtus earum, quas in ipsis miramur Apostolis, defuit; immensum gloriæ divinæ procurandæ desiderium, animi robur quibuslibet obicibus & periculis insuperabile, cura omnis & cogitatio in reducendis ad bonam frugem improbis defixa, & indefessa; invicta mansuetudo, qua suaviter in animos influens, dulce in eos, quantumvis repugnantes, imperium exercebat; caritas erga pauperes inexhausta; patientia omnibus adversariorum acerbitatibus, & injuriis tolerandis par; pectus minis, ferro, & ipsa morte proposita, interritum. His virtutibus Apostolicis virtutes religio-

Lib. I. sas DEI famulus adjunxit, eásque numeris omnibus absolutas; humilitatem demissíssimam, integerrimam abnegationem, mentem caducarum rerum amore penitùs spoliatam, exactissimam obedientiam, Angelicam castimoniam, summum profani seculi contemptum, patiendi sitim inexplebilem. Tot heroicas virtutes simul in unum B. Joannem-Franciscum Regis fuisse congestas, & sanctissimo inter se nexas vinculo, ejus vitæ historia, quam subjicio, demonstrabit.

P. Joannis-Fran. Regis ortus, patria, parentes.

Ducenti ampliùs anni sunt, cùm nobilis Domus, vulgi sermone *de Deplas* dicta, in duos divisa ramos fuit. Primogeniti remanserunt in provincia Rutenensi, ex qua oriundi erant, & ubi præcipua familiæ bona: minores natu in Occitaniam inferiorem progressi, domum fundârunt, Regis dictam, non solùm avita nobilitate florentem, sed etiam singulari studio Catholicæ Fidei; quippe quam constanti pietate retinuit, dum hunc Galliæ tractum Calvinianus error propè totum inficiebat. Ab his majoribus Joannes-Franciscus Regis ortus, lucem aspexit anno 1597. pridie Kal. Februarii, qui dies in feriam sextam incidebat. Natalis locus, in diœcesi Narbonensi, Fons-coopertus, veteribus Ecclesiæ monumentis non ignotus fuit, Concilio Narbonensi quinto ibi celebrato: nunc ob recentem Servi DEI gloriam est notior: pater Joannes Regis; mater Magdalena Darcis, filia dynastæ *de Segur*, quamvis ambo in primaria provinciæ suæ nobilitate censerentur, illustriùs adhuc fuerunt virtute, quàm genere commendati.

Fonconverte.

Anno 911.

Fratres Joannis-Francisci Regis, quos plures habuit, militarem gloriam non vulgarem sunt consecuti bellis civilibus, quorum incendium hæreticus furor per Galliam, in religionis & regni perniciem, latè sparserat. Omnium natu maximus cecidit in obsidione Vilmurii, quod oppidum inter Castrum, Albigámque situm, Calviniani occupaverant. Eos inde ut excuteret Scipio Joyosa, magnus Melitæ Prior, regias copias, quibus præerat, muris admovit. Catholica nobilitas ex omni Aquitania, & Occitania certatim in Joyosæ castra concurrit. Idem ardor bellicus Joannis-Francisci fratres ad præclaram expeditionem obeundam stimulavit; eorúmque natu maximus, quem retinere domi nequiverant jussa patris & minæ, filio metuentis, quem ut familiæ suæ columen intuebatur, ab hæreticis militibus præsidiariis, oppido erumpentibus, circumventus periit.

Joannes-Franciscus Regis incensus illo, quod hauserat à majori-

joribus, religionis tuendæ ſtudio, eandem hæreſi vitiiſque profligandis, non ſegniùs, quàm ipſius fratres evertendis hæreticorum arcibus, propugnavit. Lib. I.

Ejus incolumitas ſuperis eſt curæ.

Quàm carus eſſet ſuperis jam inde ab ejus infantia perſpectum eſt. Idonei teſtes permulti, quorum teſtimonia recitantur in Actis publicis, ad illum inter Beatos referendum confectis, ità narrant. Paucis pòſt diebus, quàm ſacro Baptiſmi fonte luſtratus fuiſſet, cùm nutrix infanti præbere noctu vellet ubera, hunc à cunis abeſſe ſenſit. Attonita clamorem tollit, quo excitata familia, & totam domum trepidè concurſans, diu conquiſitum, ſub lecto denique, ſpoliatum faſciis deprehendit. Viſi ſunt tenebrarum Principes, quorum operâ & malignitate id contigiſſe vulgò creditum eſt, hoſtem proſpexiſſe in puero, déque illo in cunis perdendo cogitâſſe.

Mater ſanctè puerũ educat. Prima litterarũ ſtudia.

Simul atque uſuram vocis ætas indulſit, illum ſanctiſſima divinæ legis effata perdocere mater ſedulò ſtuduit. Non ceſſabat auribus teneris inſtillare infimarum rerum contemptum, amorémque cæleſtium; odium capitale peccati, Numinis timorem & obſequium. Annos quinque natus neſcio quo pacto accidit ut matri diceret ſe pœnis æternis damnandum fore. Cui cohorreſcens mater, *Ah! fili, omen DEUS avertat*, inquit; mox, quid iſta ſibi verba vellent, quæ neſcienti exciderant, quanta ſempiterni exitii eſſet gravitas, explicuit. *O Superi!* exclamat puer; & velut animâ defectus, aliquandiu jacuit. Recepto paulatim ſpiritu, profudit vim lacrymarum, víxque ab illo æſtu, & perturbatione confirmari potuit: uſque adeò intimos ſenſus jam tum divini judicii terror pervaſerat!

Tam citò, tam ſuavibus illecebris deſtinatum cælo pectus gratia cæleſtis occupavit, ut plerique viri graves & probi, quibus ab infantia cognitus fuit, nihil in eo notatum unquam affirmaverint, unde judicaretur iis affici ludis & oblectamentis, quibus ætas illa capi ſolet: nihil deprehenſum niſi maturum; ipſam pietatem in puero minimè fuiſſe puerilem: in obeundis autem religionis omnibus officiis eam præ ſe tuliſſe tum corporis decentiſſimè compoſiti modeſtiam, tum præſentis animi attentionem, quam in viris ætate provectis admirari licuiſſet. Hinc facilè poterat intelligi Joannem-Franciſcum interiore ſanctioris & altioris magiſtri diſciplinâ formari ad egregiam virtutis perfectæ laudem. Iſta rationis maturitas, conjuncta cum acri teneróque rerum divinarum guſtu,

 abun-

Lib. I. abunde monſtrabat, quantos progreſſus in via Domini eſſet habiturus.

Litterarum rudimentum poſuit ſub doctore truci ac tetrico. Ut erat ipſe indole miti & ſubtimida, non parum illi moleſtiæ faceſſivit hominis atrox animus, & amarus: nulla tamen ex eo querela eſt audita. Interim cùm Jeſuitæ ſcholas in urbe Bliterenſi aperuiſſent, nobilis juventus ad novos profeſſores audiendos, de quorum eruditione fama percrebuerat, è tota confluxit provincia, in eúmque numerum Regis venit.

Morum ejus integritas. Vix litterariam hanc palæſtram erat ingreſſus, cùm enituit eximia virtus adoleſcentis, quæ ad præſtantis ingenii laudem accedens præcipuam ſemper illi magiſtrorum ſuorum benevolentiam conciliavit. Non contentus ſegregare ſe ab adoleſcentibus, quorum depravati mores, ultro carebat jucunditatibus à culpa remotis, quamvis ea ætate eſſet, cui nihil ferè, niſi quod eſt jucundum, ſapit. Ludum & nugaciſſimas oblectationes, quas juventus avidè ſemper conſectatur, ſibi penitùs interdixerat. Eſt prope Bliterenſe Collegium terrenus agger, ex quo proſpectus in eminentiſſimam planitiem, ipsúmque procul mare, patet. Hoc in aggere ſtudioſorum juvenum turma, ſignum ſcholarum opperiens, inambulare quotidie conſueverat. Nunquam ibi conſpectus eſt; ſive id fugiens, quo intenta DEO mens avocari & aberrare poſſet; ſive legem hanc ipſe ſibi jam tum inviolabili propoſito dixiſſet, ut voluptates vel maximè licitas reſpueret.

Studium litterarum & precatio in amore unicè ac deliciis erant. Diebus feſtis ac Dominicis curæ plus & operæ divinis rebus tribuebat. Iſtos dies in ſacroſanctis pretioſíſque numerabat, ſedulò cavens nè quam illorum particulam deperderet. Toti conſumebantur in exercitationibus pietatis, ità diſpertitis horis, ut alias piis libris domi lectitandis; alias ſacris ædibus frequentandis daret. Tunc illum ſæpe cerneres in intimo quopiam ſacello perfuſum lacrymis *effundere cor ſuum in conſpectu DEI ſui*, & amori Chriſti JESU liberiùs indulgere. Ex hac arctiſſima cum DEO familiaritate vires hauriebat ac præſidia, quibus contra licentiam ſeculi, ac deteriorem contagionem exemplorum, virtutem ſuam permuniret.

Nonnulli adoleſcentes, ejus æquales, quorum vita ſolutior, cùm ſancti juvenis mores integerrimos tacitam ſuorum cenſuram interpretarentur, temperare ſibi non poterant, quin eum identidem

dem cavillarentur. Ille verò jocos inanes negligens, neque studio ipsis placendi, neque displicendi metu, ab ea quam primùm institerat, via dimoveri potuit, ídque constantiâ virtutis perfecit, ut qui fuerat contemptui, venerationi demum esset. Lib. I.

Ejus præcipua pietas ergaB. Virginem. Singulari erga B. Virginem pietate, quam cum lacte hauserat, impulsus, enixè petiit ut adscriberetur in unum è sodalitiis, quæ in Societatis domibus instituta, & præcipuo DEIparæ cultui sunt addicta. Cùm tamen intelligeret eam non alia ratione meliùs coli, quàm morum sanctimoniâ, novo conatu incubuit ad pietatem; & frequentiùs ad sacram mensam accessit.

Gravi periculo liberatur. Multum quoque præsidii reponebat in Angeli custodis sui tutela, cui se multis nominibus obligatum fatebatur. Huic referebat acceptum, quòd, ùt suprà memoravimus, in cunis oppressus non fuisset. Auxit hanc fiduciam periculum aliud feliciter, ùt modò dicam, evitatum. Somno per æstatem victus ruri sub arbore procubuerat. Objecta dormienti (quæ vis imaginationis est) specie quadam turbida, surgit; procedit aliquamdiu, atque in ripa fluvii Orobis prærupta, & in altam voraginem præcipiti, jam stabat, cùm se arcana manu subitò retineri sensit. Evigilans, & barathrum, quò ruebat, spectans, laudavit Numinis bonitatem, & gratias egit Angelo custodi suo, cujus operâ liberatum se divinitus certissimo exitio minimè dubitabat. Cùm autem ex omnibus fructum pietatis colligere consuevisset, deberi totam colendo impensiùs Numini vitam credidit, quam ejus benignitate, non sinè miraculo, conservatam agnosceret.

Ejus solicitudo ad instillandam condiscipulis pietatem. DEUS famulum suum functionibus destinatum Euangelicis jam tum ad illas præparans, ejus mentem ardentissimo servandarum animarum desiderio succendit. Primam navavit operam condiscipulis, & juvenili licentiæ frena prudenter injecit. Alios innata retinebat comitate, alios amica objurgatione deterrebat. Sic plurimos à vitii consuetudine abductos in pudoris & modestiæ gyrum reduxit. Nullus cum ipsis, nisì de rebus ad pietatem spectantibus sermo, inerátque sermoni tanta vis & efficacia, ut omnium animos amore virtutis perfunderet.

Hunc in modum conciliatis sibi juvenum voluntatibus, & auctoritatem, quam spectata dabat probitas, adeptus, sex elegit ex eorum numero, qui pietatis ardore ceteris anteibant, cúmque illis exiguam conflavit sodalitatem, totam divino deditam obsequio. Studiorum, indolis, & morum similitudo tam arctis & suavibus

Lib. I. vinculis illos inter se devinxit, ut videretur omnium esse *cor unum, & anima una*. Formam vitæ, quam sequerentur, descripsit. Utebantur eodem tecto: erant assignatæ studio litterarum & precationi horæ, ut ferè fit in Seminariis: colloquia ejusmodi, quæ utilitatem aliquam haberent, apta excitandæ fovendæque pietati: aliquo ejus generis libro, super mensam legendo, dapes condiebantur. Diurnæ actiones vesperi ad calculos vocabantur. Singulis diebus Dominicis sumebant ex altari panem Eucharisticum, & aures concionanti sacerdoti dabant: ceterà carebant publico, nisì frequentandi collegii, vel templi causâ prodeundum domo esset, aut animus à studendi contentione relaxandus honestâ quapiam & innocenti oblectatione, quæ sic fessas reficeret vires, ut pietatem non debilitaret. Dux omnium, & viva veluti regula, Regis erat; id unum studens, ut adolescentes, è quibus contubernium illud exiguum constabat, formaret ad veram virtutem, & promoveret. Isti vicissim eum ùt sanctum venerabantur, & ùt vitæ perfectioris magistrum auscultabant.

In morbum incidit. Hanc vivendi rationem tenuit usque ad annum ætatis duodevigesimum, quo in morbum incidit. Hic vero virtutem ejus non minùs probavit, quàm illustravit. Quicumque ad ægrum ventitabant, æquè piis ejusdem sermonibus, ac patientiâ movebantur. Cùm sæviret febris, & violentior in dies accederet, extremum in periculum brevì est adductus. Cùm tamen Dominus servatum illum idcirco vellet, ut innumeros mortales è cœno vitiorum eductos servaret; paucis pòst diebus præter omnium spem convaluit. Hoc DEI beneficio provocatus statuit arctioribus vinculis illi se conjungere, ejúsque obsequio totum se mancipare.

Vocatur ad Societatem JESU. Id secum agitans deliberare per otium, semotis parumper aliis curis, cœpit de vitæ statu quem esset amplexurus: omnino sequi paratus, quocumque DEUS vocaret. Statim vidit mundum non alia certiùs ratione vinci posse, quàm discessione ac fugâ: & accidit aliquando, cùm Eucharisticum sumpsisset cibum, ut subitò fuerit inflammatus incredibili desiderio, se penitùs divinæ gloriæ devovendi. Multis ultro citróque attentè consideratis, persuasum habuit vocari se à DEO ad salutem animarum procurandam in Societate JESU. Nihilominùs nè quid perperam decerneret in eo negotio, in quo error æquè facilis ac periculosus est, Sacerdoti, quo rectore conscientiæ utebatur, mentem suam aperuit. Ille, omnibus diu multúmque perpensis, eum in sententia confirmavit.

Ve-

Venerat Bliteras per eos dies P. Joannes Franciſcus Suarez, Lib. I.
Provincialis Societatis, ut collegium inſpiceret. Ab eo Regis enixè contendit, ut in Societatem admitteretur. Cùm ad preces & lacrymas adoleſcentis accederet Collegii Patrum conſenſus, ipſum certatim commendantium, Provincialis eundem admittere cunctatus non eſt.

Tirocinium vitæ religioſæ ponit Toloſæ. anno. 1616.

Laborandum illi valde non fuit ut vincula carnis & ſanguinis abrumperet: jam dudum valere ſpes caducas juſſerat, nihilque ipſi longius videbatur, quàm ut innocentiam ſuam in tuto collocatam, & ſeculi nequiſſimi periculis ereptam, videret: itaque confeſtim Toloſam profectus, ibi religioſæ vitæ tirocinium cœpit ponere, anno 1616. ſexto Idus Decembris, annum agens undevigeſimum. Magiſtros tironum nactus eſt P. Petrum *La Caſe*, Rectorem Domûs Probationis, & qui ſucceſſit illi, P. Petrum *Verthamon*, utrumque perfectæ vitæ ducem ſcientiſſimum.

Mutato ſtatu, nihil admodum, in animo vel moribus quod mutaret, habuit; nullius vitii conſuetudo corrigenda, nullæ cupiditates expugnandæ; ultima duntaxat manus inchoatæ ſanctimoniæ imponenda. Jam inde à principio tirocinii tantam indolem virtutis, adeò factam ad omnia religioſæ vitæ munia oſtendit, ut illum diligentiſſimi quique tirones, tanquam exemplar pietatis ad omnes regulas exactæ, intuerentur. Admirationi erat ſedula in obeundis non modò gravioribus, verùm etiam in leviſſimis tironum exercitationibus accuratio, quibus non leve addebat pretium plena DEO mens, & nobiliſſimis ad rectè agendum ſtimulis excitata. Itaque Novitii, quos ſtudium vitæ perfectioris, ad quam inſtituuntur, ſæpe attentiores juſto in obſervandis fratrum ſuorum nævis, & in carpendis ſeveriores efficit, fatebantur in eo nihil deprehendi, cui auſterioris cenſuræ acumen adhæreſceret.

Quod aliis arduum & multi ſudoris eſt, id illi perfacile ac pronum extitit. Aſſuetus ſilentio, piæ ſolitudini & precationi, cùm adhuc in ſeculo, per ſe ſe inquieto ac tumultuoſo degeret, in iiſdem rebus nihil tunc habuit negotii, cùm totus ſuus, totus DEI fuit. Hoc unum diſcrimen intereſſe viſum, quòd animo vacuo à ſtudiis litterarum perfruens, & à rebus ceteris, quæ ſenſibus objectæ mentem avocant, libero, ità ſe DEO conjunxit, ut in ejus conſpectu ſemper verſaretur.

Plerique homines de Societate, ejus olim in tirocinio ſodales, affirmârunt eluxiſſe jam tum in illo virtutes omnes, quibus in omni

Lib. I. ni vita præcipuè deditus fuit, humilitatem, contemptum mundi, odium ſui, pauperum amorem, Divinæ gloriæ ſtudium.

Avidè conſectabatur infima quæque miniſteria: nihil faciebat cupidiùs, quàm inſerviebat coquo, everrebat domum, ægrotis aderat, fratrum ſuorum pedes exoſculabatur: honori ſcilicet ac lucro apponens quidquid eſt in religioſa familia maximè abjectum & humile.

Præ ceteris tamen virtutibus enituit illa ſingularis ac tenera caritas, qua egenos ſemper eſt proſecutus; & cujus illuſtria ubique documenta, interdum etiam heroica, ùt videbimus, dedit. Inter varias periclitationes, quibus Novitiorum conſtantia probatur in Societate JESU, numeratur iſta, ut dies aliquot conſumant in publico valetudinario; nempe ut maturè aſſueſcant delicata naturæ vitioſæ faſtidia vincere, caritatíſque Chriſtianæ officia viliſſima, & nauſeæ pleniſſima, exercere. Ubi ſuam adeſſe vicem Regis vidit, ingenti beneficio affectum ſe exiſtimavit. Ut ægrotorum quiſque fœdiſſimus, & maximè nauſeoſus occurrebat, ità illum libentiſſimè complecti, ſolari; curandis vulneribus opem, quamcumque poterat, præſtare; ſternere cubile, ídque tam prompto, tam geſtiente vultu animóque, ut ſcires unum in pauperibus Chriſtum ab eo conſpici.

Quàm aliis benevolus & ſuavis, tam ſibi aſper ac durus erat, de maceranda carne videbatur unicè ſolicitus, quam ſancto proſequi jam tunc cœpit odio, ità ut poſtea vulgò diceretur *nullum Regis capitaliorem eſſe hoſtem, quàm ejus corpus; ipſum ſuimet ipſius vexatorem eſſe immaniſſimum.* Sanè nullum genus oblectationis ſenſibus indulgebat, nullam affligendi ſui prætermittebat occaſionem, ac niſì moderatores huic aviditati frenos injeciſſent, valetudinem voluntariis cruciatibus attriviſſet.

Hanc vitæ aſperitatem ſuavitate orationis mitigabat, nunquam lætior, quàm cùm in DEI complexu & colloquio conquieſceret. Eminebat in ipſo vultu ardor animi: ſæpe conſpiciebatur ante aras provolutus, immobilis, & velut à ſenſibus alienatus. Hinc, quoties verba de DEO faciebat, neſcio quid ſublime, ſplendidum, ac ſuave redolebat ſermo, quod divinum amorem audientibus afflaret. Ejus certè colloquiis accendi vel frigidiſſimos novitii prædicabant.

Arnaldus Boretus, clariſſimus in curia Toloſana Senator, caducorum bonorum levitate ac vanitate perſpecta, receperat ſe domum

mum Probationis, in eáque dulces pœnitenti, & ad mortem se comparanti, latebras quæsierat. Ibi optimus senex, sola veste à novitiis discrepans, ea usurpabat omnia, in quibus illi exercentur. Quamvis cunctos haberet carissimos, nostrum tamen Regis peculiari complectebatur benevolentiâ: cum eo de rebus divinis summa cum voluptate disserebat; nec cessabat tantum maturitatis, in tanta velut ætatis viriditate, in religioso tirone veteranorum virtutes, admirari. Lib. I.

Qui vitam B. Regis litteris consignârunt, affirmant eum eximiis à DEO beneficiis affectum fuisse in Ecclesia collegiali Sancti Saturnini, qui catholicam religionem primus Tolosæ fundavit. Hæc sancti hujus apostoli cineres, cum aliorum martyrum plurimorum corporibus, servat; summíque Pontifices nonnulli, Carolus Magnus, multíque Reges ejus successores, locum, tot illustrium custodem monumentorum, atque haud scio an cunctis, qui celebrantur in Gallia, venerabiliorem, visendum sibi Tolosæ putaverunt.

Huc tirones suos mittere Tolosani Patres consueverunt, ut ipso tot heroum Christianorum aspectu, ad imitandos eorum labores Euangelicos excitentur. Regis ad hanc ædem præcipua sanctitate inclytam, accedens, sacro perfundebatur horrore: prono in humum corpore sternebatur ante felices divorum exuvias, eorum opem suppliciter implorabat, & altaria singula pietate mirabili perlustrans, solum lacrymis irrigabat. Hîc succensus est acerrimo fundendi pro Christo sanguinis desiderio, cujus ardorem nulla temporis diuturnitas extinxit, & quo se, dum vixit, inter assiduos asperrimæ vitæ labores, sustentavit. Ex eodem Sacrario apostolicum hauriebat spiritum, quo elementa doctrinæ Christianæ in rusticis Missionibus, adhuc tirunculus rudi populo & pueris, divino quodam æstu inflammatus, explicabat: quod illi testimonium Rector suus & tironum Magister, in quibusdam suis litteris exaratum, non item cuiquam aliorum, impertit.

Vota religiosa nuncupat: studet philosophiæ.

Peracto tirocinii biennio, & religiosis votis rite nuncupatis, eloquentiæ, quam antea duntaxat à limine salutaverat, pleniorem operam dedit anno 1618. Cadurci. Sequenti anno Turnonium venit, Philosophiæ spatia decursurus. Qualem se in Tirocinii palæstra, talem in academia litterarum præbuit: ùt nuper tironum, sic modò studiosæ juventutis exemplar.

Lib. I.

Studii asperitatem precationis suavitate temperat.

Satis gnarus eos qui provinciam alios docendi suscipiunt, oportere à doctrina esse quàm instructissimos, nulli assiduitati, labori nulli pepercit, ut arcana philosophiæ omnia pernosceret. At vicissim probè intelligens ejusmodi studiis, quæ sicca per se se & arida, obtundi sæpe suavem pietatis gustum, & multos opinione quadam ingenii elatos, plus æquo sibi placere; invênit quo pacto scopulum hunc effugeret, ac litterarum studia virtutis exercitationibus amicè sociaret. Frequens in templo Christum visere, eodem crebriùs pasci, in orando multus esse, libros utiles terere. His adminiculis cavit nè mens contemplandis rebus humanis dedita, longiùs aberraret à divinis, néve succus ille tener pietatis exaresceret. Præterea singulis mensibus atque hebdomadis sepositam temporis partem habebat, quo vacaret sibi, & in se se descenderet. Quibus artibus id assecutus est, ut non modò nihil remitteret de pristino ad perfectionem religiosæ vitæ cursu, verùm etiam ut in ea longissimè procederet.

Ante omnia ratum ac fixum habuit nulla unquam privatæ pietatis munia omittere, quidquid tandem occurreret negotii, & quamvis, ùt interdum fit, incideret quidpiam gravioris operæ, quod majorem studendi contentionem, ac temporis plusculum postularet. Eam ob rem ità distributos habebat dies, horas, momenta omnia, ut piarum exercitationum ordinem nequaquam studia interturbarent, imò adjuvarent, ac pæne continuarent. Divinam opem submisso poplite priùs invocabat, quàm Professoris dictata sumeret in manus: eadem legens, mentem erigebat identidem ad Deum brevibus, at plenis ardoris & animi precatiunculis; ac si quid objiceretur caliginis, implorata cælesti luce discutiebatur.

Sedula legum religiosarum servandarum cura.

Hac precandi consuetudine, hac indefessa, quâ nunquam oculos à se ipso dejiciebat, vigilantiâ, perfecit Sanctus juvenis ut esset regularum vel minimarum custos rigidissimus. Nunquam observatus est à suis superioribus in earum ullam peccare, ut ipsimet testati sunt. Itaque non dubitabant illum condiscipulis, tanquam exemplum excellens proponere, quod intuentes, consentaneam ætati suæ & instituto perfectionem assequerentur.

Multos in errorem & culpam induci existimabat, dum anxiè scrutantur quid leges religiosæ præcipiant constitutâ peccati pœnâ, quid secùs. Inde quippe ajebat fieri, ut isti tantò confidentiùs tantóque periculosiùs adversùs leges peccent, quantò longiùs opinantur se à culpa & periculo abesse. Inde ordinem disciplinæ ac velut œconomiam pes-

pessumdari, & viam ad graviora sterni flagitia. Quidquid lex præciperet, sive levi proposita pœna, sive nulla, non levis illi ponderis ac momenti videbatur, id unicè videlicet laboranti ut ei placeret hero, cui se mancipaverat. Porrò hæc in observandis vel minimis legum nostrarum apicibus diligentia, ut animi, sic etiam corporis motus omnes tam decenter composuerat, ùt cùm prodibat foras, monstraretur digito, & *Collegii angelus* præclaro nomine appellaretur. Lib. I.

Ut quoddam Euangelici ministerii tirocinium poneret, rogavit imponi sibi à moderatoribus suis provinciam erudiendi famulos domûs, nec non urbana mendicabula, quibus Collegii eleemosynam dividebat statis hebdomadæ diebus. Festis verò ac Dominicis in vicinos Turnonio pagos ad concionandum excurrebat.

In pagis concionatur insigni cum fructu.

Vix curriculum philosophicum ingressus obtulit se socium sacerdoti eodem, atque ille, animarum studio flagranti. Dum Pater confitentibus præbebat aures, aut concionem parabat, Regis collectæ tintinnabulo turbæ puerorum enucleabat elementa doctrinæ Christianæ. Ità se se quodammodo periclitatus, emendandos oppiduli (Andaiam vocant) mores suscepit. Exceperunt incolæ tanquam à superis missum, faustísque conatibus tam dexter DEUS adfuit, ut fugatis, quæ plurimùm eo loci regnabant, vitiis, ebrietate, impudicitiâ, temere atque impiè jurandi consuetudine, usus frequens sacramentorum fuerit revocatus. Odor sanctimoniæ illic ab eo relictus, etiamnum perseverat.

Ibi tunc primùm instituit sodalitatem sanctissimi Sacramenti, ad restituendum pristino splendori divinæ Eucharistiæ cultum: quæ deinde latè propagata, auctore illo, & conditore gloriatur. Ipse sodalibus sapientissimas conscripsit leges, annos duntaxat viginti duos, trésve natus. Gratia maturitatem ætatis ad patranda prodigia non expectat; & auctoritatem juventuti spectata sanctitas conciliat, quam senectuti prudens canities afferre sola nequit. Regis salutaribus consiliis in oppido Andaia omnia regebantur. Leges præscribebat familiis, componebat lites; ubi quid statuerat, ejus arbitrio & sententiæ cuncti acquiescebant. Ultro parebant edictis novi cujusdam tribunalis, quod sapiens juvenis erexerat, & ad quod eorum nomina deferebantur, qui exempli contagione, vel publica flagitii cujuspiam pravitate, in vulgus nocebant; aut familiarum pacem moribus incompositis perturbabant. Illos admonebat, illos verbis asperioribus castigabat. Pauci monentem re-

Lib. I. respuebant, ac si quis morem gerere detrectaret, ejus nomen è sodalitio expungebatur. Ea nempe vis, hoc ingenium sanctitatis est, ut artes varias comprimendis vitiis feliciter excogitet, ac sui venerationem, in quocumque demum reperiatur, eliciat.

Literas humaniores docet Anicii, anno 1625.

Philosophicum curriculum emensus (annus agebatur 1621.) missus fuit principio Billomum, deinde Augustam Auscorum, ac denique Anicium, ut litteras humaniores doceret. Anicium subiit anno 1625. ibique docendi munus obiit cum ea omni perfectione, quam Societatis Institutum postulat.

Scholam suam intuebatur ùt oblatum sibi à DEO stadium in quo nervos omnes industriæ contenderet; cúmque pro certo haberet, nihil à se fieri posse Numini acceptius & publicæ rei utilius, quàm si commissam sibi divinitus juventutem pietate ac litteris imbueret, hoc officio curáque omnia posteriora ducebat. Monuit illum aliquando amicus, ut majorem temporis haberet rationem, neque tantum illius sumptum in discipulos faceret, cujus partem rectiùs reservaret sibi, ad comparandam eruditionem, ex qua gloriæ plus esset percepturus. Consilium hoc, utpote amoris proprii fermento inquinatum, Regis non gustavit, cui nihil sapiebat nisi quod obedientia condiret. Quare amico candidè respondit satis sibi supérque esse, si onus à Domino impositum sustineret. Id si rectè præstaret, se nomen & famam imperiti pro nihilo putare.

Singulari cura discipulos ad litteras & pietatem instituit.

Huc præcipuè spectabat ejus labor ut sanctos, non tantùm ut doctos effingeret; nullámque prætermittebat occasionem excitandi in discipulis desiderium sanctitatis aliquando consequendæ. Scholæ solitas exercitationes non raro interrumpebat, ut eos ad amorem divinum cohortaretur. Ex ardore dicentis intelligere pronum erat, nihil ipsum libentiùs, quàm verba de DEO facere. Quoties tractabat hoc argumentum, sermo sacrum spirabat ignem, & mirificam quandam suavitatem audientibus aspergebat, qua delibuti sæpe cum magistro discipuli collacrymabantur. Ex iis plerique postea ætate provecti, pro testimonio dixerunt, ejusmodi cohortationes, fusas ex tempore, illaboratas, ac Divino quodam impetu concitatas, ipsis altissimè in animo defixas hæsisse, earúmque vel sola recordatione, quasi freno, à peccato fuisse revocatos. Jam, quæ cum discipulis è superiore loco disserebat, eadem privatis inculcabat colloquiis: tunc orationem singulis, ut cuique opus erat, accommodans, illos vehementiùs certiúsque commovebat.

Ma-

Mater nulla filios æquè fovet, atque Regis suos complectebatur discipulos: eósque præsertim, quos egere cernebat, & quorum paupertati necessaria procurabat subsidia. Ægrotantes omni sublevabat ope, servíque sui gratam sibi esse caritatem miris sæpe modis DEUS ostendit. Lib. I. *Eosdem ægrotos pauperésque, omni ope sublevat.*

Jacobus *Gigon*, tunc ejus discipulus, postea Præsidialis curiæ Aniciensis Senator, gravi dysenteria laborabat. Adiit ægrotum Regis, cúmque vis mali omnia vinceret remedia, huc intendit curam ut novissimis Sacramentis ad certamen ultimum muniretur. Ingravescente morbo, languentem ac pæne conclamatum visens, & familiæ plangentis luctu permotus; accedit propiùs ad ægroti lectum, ductóque super jacentem signo crucis, piam precem, velut numine afflatus, ac plenam fiduciæ, concipit: tum: *Macte*, inquit, *fili*, *sanaberis. Valetudinem tibi restituet DEUS, ut illam in ejus obsequium, majore quàm antea studio impendas.* Vix hæc edixerat, cùm adolescenti melius est factum: & paucis pòst diebus omnino convaluit. Sed animorum morbis multò graviùs tangebatur; & quamvis nulli parceret operæ, ut discipulos à levissimis etiam noxis defenderet, si quid ab iis tamen peccaretur, id adscribebat sibi, séque reum clamabat. Cùm ab uno ex illis admissum grave flagitium accepisset, sic arsit dolore, ut lacrymis totus difflueret: cúmque nondum se collegisset ab hac sancta perturbatione, sermonem cum aliis habuit de judiciorum DEI severitate adeò vehementem, ut omnes cohorrescerent; séque adhuc intimis percelli sensibus aliqui faterentur, quoties eorum subiret memoria, quæ ab eo tunc audierant. *Unum è suis discipulis gravi morbo liberat.*

Cùm autem probè intelligeret plus apud pueros ponderis habere facta magistrorum, quàm dicta, illud summum semper & antiquissimum habuit, ut quam virtutis viam monstrabat illis verbo, signaret ac tereret exemplo. Ipsa species oris ad modestiam & humilitatem compositi, præclaram imaginem exhibens animi velut in se collecti, & secum habitantis; sancta sinè fuco simplicitas; vultus austeritatem præ se ferens ac pœnitentiam; hæc omnia, inquam, meliùs omni oratione movebant discipulos, & ad virtutem accendebant. Suis ipsi moribus, ad omnem honestatis normam exactis, secernebantur à ceteris adolescentibus; & indicio erant à qua essent manu formati. *Discipulis exemplo vitæ prælucet.*

Tot egregiæ dotes profluebant ab intima Regis cum DEO conjunctione. Ut superos labori suo propitios ac faventes habe-

 ret,

Lib. I. ret, ab iis lumen ſemper in templo & opem expoſcebat, antequam iniret ſcholam. Cuſtodes etiam puerorum ſuorum angelos invocare conſueverat, ut teneras mentes præpararent ad excipienda ſemina, quæ illis mandaturus eſſet. Tantum aberat ut aliquid de uſitatis in Societate, pietatis exercitationibus detraheret, ut ad matutinæ meditationis horam, à regula præſcriptam, varias preces adjungeret, quas ſua illi pietas ſuggerebat. Ad tolerandas & vincendas, quæ cum labore docendi ſunt conjunctæ, difficultates & moleſtias, promptum illi ac paratum in ſacroſancta Euchariſtia præſidium & aſylum erat. A Superiore ſuo ſæpe poſtulabat facultatem ejus præter ſolitum ſumendæ; cúmque illi facta hæc poteſtas fuerat, exilire gaudio videbatur; tanta erat divini panis fames! At, eo priuſquam veſceretur, animum præparabat privatim corporis afflictationibus, & obeundo publicè aliquo vili & abjecto miniſterio: pridie magnam noctis partem in æde ſacra tranſigebat, Chriſto ſupplicans, nec precandi priùs faciebat finem, quàm ſomnum neceſſitas extorqueret.

Illum diſcipuli ùt ſanctum venerantur. Eam virtutis perfectionem adeptus erat, ut diſcipuli, ceteroquin attenti ad obſervandum, & perſpicaces ad pervidendum quidquid in magiſtris vel leviſſimè vitioſum eſt, nunquam quidquam deprehendere potuerint in ejus dictis factiſve quod affine vel minimæ culpæ videretur, nullum iracundiæ motum; nullum impatientiæ, aut inanis gloriæ ſignum. Hinc ſumma illorum in eum obſervantia & veneratio; hinc docilitas, qua ſe totos ad omnem imperantis nutum fingebant, flectebántque. Quidquid moneret, docerétve, tanquam divinitùs traditum excipiebant; & inter officia religionis numerabant homini, tam caro ſuperis, auſcultare.

Quanti virtutem illius facerent, ex eo quod ſum dicturus cognoſci poterit. Vir ſpectatæ probitatis è noſtra Societate, & in ea Provincialis munere bis functus, narravit mihi ſe in ſuperiorem Ordinis D. Benedicti aliquando incidiſſe, provectæ jam ætatis, & Patre Regis magiſtro pridem uſum. Affirmabat venerabilis ſenex non poſſe ſe ſinè lacrymis dulciſſimam ſancti Profeſſoris ſui memoriam uſurpare. Adjecit obverſari adhuc animo cohortationes, quas ab hoc præſtantiſſimo DEI famulo quondam audierat, exempla pulcherrima quæ perſpexerat; quorum recordatione ad virtutem ſtimulari ſe fatebatur. Mox educens perâ vitam ejuſdem in lucem recèns editam. *Neſcio* inquit, *quando Romana Sedes*

des virum hunc Apostolicum, tot rebus sanctissimè gestis insignem, inter Beatos relatura sit; illud certè scio, hunc tutò proponi posse venerationi Fidelium à summo Pontifice, & causas cur id faceret satis multas reperturum in hoc libello, cui possem addere illustria facinora non pauca, quorum testis ipsemet fui, cùm eundem magistrum audiebam. Lib. I.

Neque verò sacrum caritatis ardorem, & proximos juvandi studium, scholæ finibus ac salute discipulorum Regis circumscribebat; in vicinos procurrebat pagos diebus Dominicis & festis, & agrestem turbam oratione tam apposita erudiebat, ut negarent omnes auditum à se quemquam concionatorem, qui tam perspicuè ipsos doceret, tam vehementer commoveret. Mulierem aliquando ità percussit ejus concio, ut præ gaudio vix sui compos exclamârit; *quàm bene, quàm suaviter de DEO verba facit! Utinam eum audire sæpe nobis contingeret!* *Diebus Dominicis ac festis ruri concionatur ac docet.*

Non minore fructu ac suavitate disserebat privatim, quàm publicè concionabatur. Invitatus ad prandium à quodam cive, ipsius perstudioso, qui summa cum voluptate operam concionanti frequens dabat, paulùm cunctatus est, ac benignè demum negavit. Verùm ubi vidit hominem repulsam ferre molestissimè, assentiendum putavit, non sinè mœrore tamen ac tœdio, quippe qui legem hanc sibi dixisset, ut ad populi convivia nunquam accederet. Sed mœrorem suum abunde consolatus est, cælestium, quas convivis apposuit dapum utilitate. Scripsit unus è suis discipulis, quem ferè comitem in istis pusillis Missionibus adsciscebat, illum unicè de DEO tunc locutum fuisse; ac matrona prudens, quæ aderat, ejus sermonibus tam jucundè pasta discessit, ut empturam se magno diceret voluptatem eum iterum audiendi de rebus divinis disserentem. Sic viri Apostolici quæstum ubique faciunt, & arte mirabili fructum virtutis è promiscuis actionibus, iisque vel maximè indifferentibus, colligere nôrunt.

Postquam septem annos tradendis litteris humanioribus consumpsisset, duos Billomi, unum Augustæ Auscorum, & quatuor Anicii; Theologiæ curriculum auspicatus est Tolosæ anno 1628. Cùm ad ingenium excellens laborem assiduum adjungeret, magnos in hac sanctiore scientia progressus brevì fecit, nec vulgarem eruditionis egregiæ laudem est consecutus. Eâ verò non modò non delectabatur, ut imperiti famam ac sui contemptum rudi quadam simplicitate, & inscitiæ simulatione, haud rarò captaverit. *Theologiæ cursũ auspicatur Tolosæ an. 1628.*

Lib. I. Solent noſtri qui ſtudent in Seminariis, dies aliquot ad animos relaxandos quotannis in villa traducere. Dum innocentibus oblectationibus indulgebant alii, Regis in ſolum aliquem recipiebat ſe locum, ut cum DEO verſaretur. Neque contentus bonam diei partem in hoc cæleſti commercio tranſigere, ſingulis noctibus, poſtquam paululum obdormiverat, clàm è cubiculo prorepebat in ſacellum. Quamvis provideret omni ope ut eſſet clàm, ſenſit vicinus quiſpiam, & Rectorem admonuit. Rector, cui nota virtus Regis, communem longè modum egreſſa, *Sine* inquit, *Angelum hunc DEO ſuo frui. Multum in ſanctitate proceſſit iſte juvenis : ac, niſi me fallit animus* (addidit non ſinè cæleſti aliquo mentis inſtinctu) *erit illud aliquando tempus cùm ejus diem feſtum Eccleſia celebrabit.* Hæc verba prophetici oraculi vim habuiſſe credita ſunt. Et erat ea virtus P. Franciſci *Tarbes*, tunc Rectoris, ac poſtea provinciæ Toloſanæ Præpoſiti, quæ facilè perſuaderet ſic locutum divino afflante ſpiritu, cælitum honores olim huic juveni theologo à Romana Sede tribuendos præmonſtrante.

Monitus à Superioribus ineunte anno 1630. ut ſe ad ſacerdotium compararet ; non leviter eſt agitatus difficili pugnâ inter ejus non cupiditates, ſed virtutes, orta. Hinc humilis animus ſacro quodam horrore percellebatur, ſecum reputans tremenda myſteria, quorum diſpenſator beneficio ſacerdotii futurus eſſet : inde verò incredibili ſervandarum animarum deſiderio incenſus, nihil ardebat vehementiùs, quàm dari ſibi facultatem vincula ſcelerum perfringendi, & peccantium letales morbos, oblatâ divini corporis ſanguiniſque medicinâ, perſanandi. Audiebatur interdum repetitis vocis fortunatum vocare diem, quo ſanctiſſimam victimam DEO immolaturus eſſet : aliàs in ſui nihili cogitationem demerſus, ab honore tanto, ùt indignus, longiſſimè refugiebat. Ità diſtractus in varias partes & anxius aliquandiu hæſit. Verùm redintegrata Superiorum juſſa hunc animi fluctuantis æſtum ſedaverunt. Cùm eos intueretur tanquam interpretes divinæ voluntatis, in eorum imperio penitùs conquievit. Ad ſacros Ordines ſuſcipiendos comparavit ſe arctiore ſolitudine, ſeveriore jejunio, ſumendo ſæpius Euchariſtico pane, inſtaurandis inflammandiſque deſideriis unicè DEO ac penitùs inſerviendi ; frequentandis affectibus piis adorationis, humilitatis & amoris, in quibus totus erat. Poſtquam obedientia metum diſcuſſit, quem ſua ipſi humilitas injecerat, exarſit vehementiore ſtudio divinâ quàm primùm litandi hoſtiâ,

Sacris Ordinibus initiatur anno 1630.

ſtiâ, ſeque ingens beneficium à Superiore ſuo accepiſſe ratus, per quem effectum fuerat ut paulò maturiùs ſacris ordinibus initiaretur, gratiam illi à ſe reddendam ſacrificiis triginta promiſit. Lib. I.

Sacerdos creatus, non ſtatim ad ſacrum altare proceſſit, ſed diligenti per otium adhibita præparatione, ac præſertim intentiore cura precationis & pœnitentiæ. Cùm primam divinæ Majeſtati hoſtiam immolavit, tam ſuavi pietatis ſenſu delibutus eſt, ut quandiu ad aram ſtetit, lacrymas tenere nequiverit: nec eas qui aderant inhibere potuerunt; tam ſuaviter afficiebat univerſos angelica ſacrificantis modeſtia ſacer qui lucebat in vultu ardor, ac totius corporis habitus, ſummam Chriſti præſentis venerationem, religioſo mixtam horrore, atque intima ſui demiſſione commonſtrans.

Obſequiò laborantium peſte ſe devovet.

Vix ſacro ſacerdotii charactere fuerat inſignitus, cùm ejus caritati occaſio ſe obtulit, quam idoneam recenti miniſterio exercendo, ac ſacerdoti nullo pacto prætermittendam judicavit. Eodem anno 1630.* Toloſam adorta peſtis, magnam in urbe ſtragem edidit. Putavit Regis, quicunque cæleſtem quotidie in templo victimam immolaret, hunc oportere ità comparatum eſſe, ut victima quoque, ſaluti proximorum devota, ſemper eſſet. Hac mente apud ſuperiores ſummis precibus inſtitit, ut ſibi liceret peſte laborantium obſequio ſe devovere. Denegantibus, & florem ætatis cauſantibus, Meritò ſanè, inquit, illis parcatur, quorum è vita & valetudine populus capere fructum poteſt; at homuncionem nauci & nullius frugis, cujuſmodi ego ſum, conjicere in diſcrimen ſinè detrimento publicæ rei poteſtis, imò cum emolumento non levi Societatis, quæ ſic inutili pondere levabitur. E ſcheda P. Joannis Maliceni Jeſuitæ, qui Toloſæ tunc verſabatur, ejus manu ſcripta; nec non è multorum teſtimoniis, quæ extant in Actis pro P. Regis in Sanctorum numerum referendo confectis, compertum eſt, ipſi conceſſum quidem à moderatoribus fuiſſe ut operam peſte contactis navaret: ſed à ſuperis negatum, quod maximè cupiebat, ut vitam in hoc præſtanti caritatis officio poneret, in quo plurimos è ſuis fratribus pretioſa morte functos vidit, & invidit.

Quia periculum eſt nè ſtudendi contentione ſacer pietatis ardor, quo religioſæ mentes accenduntur & vigent, extinguatur, aut paulùm certè, præſertim in junioribus, intepeſcat, ſapienter inſtitutus à S. Ignatio fuit annus tirocinii tertius, quem perfuncti ſtudiis noſtri ſic tranſigerent, ut à litteris aliiſve curis profanis omni-

Lib. I. no feriati, & ſpiritualis vitæ officiis penitùs addicti, primum illum exſuſcitarent ignem, viréſque longo ſtudiorum curſu quaſi debilitatas reficerent.

Tertium Tirocinii annum obit 1631.

Anno 1631. Regis, Theologico ſpatio confecto, ultimam hanc periclitationem obiit. Quos cæleſtis gratiæ theſauros in familii ſui ſinum benigna DEI manus tunc effuderit, cognitum ſingillatim non eſt: illud universè conſtat, ipſum acriori deſiderio divinæ gloriæ amplificandæ accenſum, informâſſe animo & primis veluti lineis deſignâſſe curſum ac tenorem vitæ, quem in Euangelico deinceps miniſterio ſecuturus eſſet. Ad hoc porrò novum vitæ genus ingens in rerum cæleſtium meditatione, ſilentio, jejunio, duriſſima corporis vexatione, præſidium ſibi comparavit.

Miſſionē in patria inſtituit magno cum fructu.

Sic augebat in pio ſeceſſu partas virtutum opes, cùm præter expectationem juſſus eſt à P. Mutio Vitelleſco, Præpoſito Generali Societatis, conferre ſe Fontemcoopertum, ad domeſtica quædam negotia componenda. Non ſinè gravi mœrore intellexit reviſendos ſibi propinquos & affines, quos in perpetuum obliviſci decreverat. Mœrorem ſuum ſolatus eſt ſuſcepto conſilio Miſſionis in patria inſtituendæ, ut illatum ibi à ſe adoleſcente, inquiebat, deterioribus exemplis damnum melioribus ſarciret.

Quod iter aliquem alium valde delectâſſet, laborioſam ipſi patientiæ & humilitatis materiam præbuit. Sic ſolent Sancti, omnia in lucro ponunt. Confecit illud pedibus, & emendicato victu. Fontemcoopertum ingreſſus, ægrotos & pauperes viſere primùm curæ fuit. Diurnas occupationes, quandiu illic verſatus eſt, ſic ferè ſibi ipſe præſcripſit. Matutinis horis orationem ſacram ad populum habebat, pueris tradebat elementa doctrinæ Chriſtianæ, peccata confitentibus aures dabat. Pomeridianis horis paulò antè noctem iterum concionabatur. Reliquum tempus conſumebatur viſendis pauperibus, colligendis locupletum eleemoſynis, & in egentes familias, ùt cuique opus erat, diſtribuendis. Amabat ſe, ac placebat quodammodo ſibi, in conſolandis ægris, in obeundis eorum causâ miniſteriis, etiam infimis: nec raròad eorum cubilia pernoctabat. Quoties prodibat in publicum, euntem ſtipabat vicatim caterva puerorum & pauperum. Utriſque totum ſe dabat, iſtis ſublevandis, illis erudiendis.

Ejus in pauperes caritas.

Ejus fratres, qui primarios inter cives numerabantur, fraternam vivendi rationem ſuum dedecus interpretati (ùt ferè ſunt hominum judicia, res optimas & ſanctiſſimas oculis carnis intuentium)

um) dolorem suum dissimulare non potuerunt, & in eum verbis asperioribus sunt invecti. Ajebant modum aliquem statuendum tam effusæ pietati: non carere civitatem hospitali domo, itémque carcere; ibi posse illum exercere solita caritatis officia: quod si tanta esset cupido pauperibus opitulandi patere illi suam ipsorum arcam; nummos, quantum vellet, in promptu fore: at neque illi, neque ipsis satis decorum esse, si ostiatim, instar mendicabuli, corrogaret cibum, miserorum vili turmâ, & puerorum agmine semper cinctus. Respondit benignè Regis se, qui Christianus esset, gloriari quòd inserviret pauperibus, cúmque in iis Christum aspiceret, nequaquam turpe atque indecorum arbitrari, si cum iis degeret, si familiariter iisdem uteretur; si denique mendicando ageret partes & personam nonnullorum ex ipsis, qui pudore, aut morbo impediebantur, nè subsidia sibi necessaria compararent. Mirati fratres tam religiosæ, tam Christianæ responsionis veritatem, aliquandiu quieverunt; illúmque liberiùs passi sunt eò ferri, quò cælesti spiritu impulsus rapiebatur. Lib. I.

At oblata paulò post occasio querelas ipsorum & dolorem graviùs accendit. Peditum legio Marchionis D' *Ambres* venerat Fontemcoopertum, ibi hiematura. Dum milites ludo, ùt fit, indulgent in foro, accidit ut Regis præteriret onustus culcitâ straminea, quam pauperis in tugurium portabat, coacti ob egestatem humi jacere. Transeuntem conspicati milites ridere, cavillari; quidam etiam clamore incondito sibilísque prosequi.

Re cognita, ejus fratres hunc immodicæ pietatis impetum frenandum denique censuerunt, nè ludibrio & despectui hominibus esse pergeret. Obtestantur ut meminerit se nobili loco natum esse, non decere ut in cognatorum oculis, nullam vel sui, vel ipsorum rationem habeat. Ad hæc modestissimè vir sanctus; *Magnam*, inquit *vobis gratiam habeo pro singulari, quam de me geritis, cura; ceterùm temperare mihi non possum, quin miseris, quacunque possum ratione, succurram, neque ulla tanti apud me ignominia unquam erit, ut officium caritatis propterea vel puncto temporis omittam. Amplum & præclarum mihi duco pauperibus aliquam opem ferre; præclarum quoque nonnihil ignominiæ idcirco perferre.*

Laudamus enimvero, inquiunt illi, *& gratulamur; neque per nos stabit, quin totum te operibus misericordiæ impendas; sed ità tamen ut consideres quid prudentiæ lex, quid conditio tua po-*

Lib. I. *ſtulet: Valetudinarii publici limen aſſiduus tere, ſi ſuperis placet: ſed noli vectandis per forum ſtramentis populo fabulam & ludos dare: hæc præpoſtera & abſurda pietas famæ tuæ nocet, nobiſque non leve dedecus inurit.* Aderant aliquot amici familiæ, cùm hæc dicerentur, eúmque benignè monuerunt, videri ſibi juſtas fratrum querelas. Addiderunt committendum ipſi non eſſe ut nobilem, unde ortus erat, domum dedecoraret hac vivendi ratione, tam à ſuis natalibus, profeſſione, inſtitutóque aliena.

Audivit hæc, aliáque id genus, Regis ſumma vultûs & animi æquitate: & quamvis non parum gauderet acceptam modò publicè ignominiam, hac privata objurgatione cumulari; nihilominus paulò vehementiùs commoveri viſus, hæc breviter ſubjecit: *Miniſtros Euangelii obeundis, quæ Chriſtiana ſuadet humilitas, operibus nequaquam dedecorare profeſſionem ac dignitatem ſuam: hæc humilitatis fundamenta pridem ab Apoſtolis, eorúmque ſucceſſoribus jacta eſſe, iiſque inædificatam Eccleſiam: ſe quidem, dum nihil in DEUM peccaret, hominum judicia & ſermones ſuſque deque habere: Placita Euangelica normam & ſentiendi & vivendi ſemper ſibi fore, non veſanas profani ſeculi leges.*

Tam liquidæ, tam generoſæ orationi quod opponerent nihil habuerunt: & abjecta ſpe frangendi hominis, qui leges ejuſmodi ſibi præſcripſiſſet, poſtea non ſunt auſi obſiſtere quo minùs priſtinum vitæ curſum teneret. Apoſtolicis laboribus fructus reſpondit, ac ſimilis portenti viſa eſt mutatio, quâ brevi tempore civitas tota novos mores induit.

Litera P. Provincialis ad Præpoſitũ Generalem Patri Regis perhonorifica.

Rem geſtam ad Præpoſitum Generalem Societatis perſcribens P. Petrus *La Caſe*, Provinciæ tunc præſes, narrat compoſitas feliciter ab eo domeſticas lites, relictum in patria ſanctitatis odorem ſuaviſſimum: plurimos ad virtutem excitatos ejus non minùs exemplis illuſtribus, & piis colloquiis; quàm concionibus, ſpiritu Chriſti animatis. Ipſius demum cives prædicare ſatis non poſſe admirabile ſtudium & ardorem, quo in ſempiternam illorum ſalutem incumbebat. Hæc tam ſancta, tam fructuoſa vitæ ratio, quam P. Joannes-Franciſcus Regis inter ſuos duxit, documento eſſe poteſt religioſis viris, qui vocationis ſuæ parum memores, concurſant affinium domos, non ut illis fructum aliquem virtutis impertiant, verùm ut aliquid ab iis capiant ſolatii commodíque, inſtituto ſuo minimè congruentis.

Compoſita inter propinquos pace, recepit ſe ad collegium

Apa-

Apamiense, illuc missus ut locum impleret magistri scholæ pueri-lis, qui morbo implicatus tenebatur. At simul scripsit Provincialis ad Præpositum Generalem flagrare P. Joannem-Franciscum incredibili desiderio laborum Apostolicorum ; videri, omnium judicio, destinatum divinitus ad expeditiones Euangelicas : neminem resistere posse Spiritui, qui loquebatur ejus ore, sive verba faceret è superiore loco, sive privatim viritímque dissereret : in eodem elucere summam sui despicientiam, cum summa populi approbatione ac laude conjunctam ; nec minorem crucis & ærumnarum sitim : in hanc denique omnes sententiam & mentem convenire, illum ad sacras Missiones deinceps unicè applicandum esse.

Ad Sacras Missiones totus in perpetuū applicatur.

Scripsit ad eum pariter Provincialis quid consilii de ipso cepisset : sperare se futurum, ut Missiones in posterum ab illo suscipiendas æquè fortunaret DEUS, atque illam in patria nuperrimè ac felicissimè confectam. Nihil poterat Regis audire jucundius, nihil ad sua vota magìs accommodatum. Destinatus obeundis Apostolorum muniis, de Apostolis imitandis unicè cogitavit. Annos vitæ decem ultimos, ùt S. Franciscus Xaverius, consecravit Missionibus. Hoc illi curriculum, hæc sola fuit palæstra, dum vixit. Eas inchoavit in Monte pessulano, & vicinis oppidis : easdem prosecutus est in Vivariensi tractu ; denique cum vita terminavit in urbibus & pagis Velaunorum, quorum caput Anicium est.

VITA B. JOANNIS FRANCISCI REGIS.

Liber II.

PAter Joannes-Franciſcus Regis ingentem ſacrarum Miſſionum campum, ſibi à ſuperioribus feliciter apertum intuens, ſic illum decurrere ſtatuit, ut æſtatem in urbibus, hiemem ruri tranſigeret. Soluti opere ruſtico per hiemem agreſtes otii plus ut erudiantur habent: tum, ipſa tempeſtatis aſperitas uberiorem Euangelii præconi materiam patiendi ſubminiſtrabat.

Principium illi Apoſtolici laboris Mons peſſulanus, Epiſcopalis civitas Occitaniæ, quam inſigniter commendant amœnitas cæli, ædificiorum elegantia, ſoli fertilitas, opulentia commercii, urbanitas civium ingenio par, celeberrima medicorum academia, demum ſplendor dignitáſque comitiorum provinciæ, quæ ibi vulgò celebrantur. Urbem ingreſſus ineunte æſtate anni 1631. ſtatim ad pueros inſtituendos animum & curam appulit. Diebus feſtis & Dominicis ad populum verba faciebat in templo collegii. Concionis hic modus & ordo erat. Primò caput aliquod Euangelicæ doctrinæ exponebat oratione familiari, & ad omnium intelligentiam accommodata. Deinde, cùm veritatem in bono lumine collocaverat, ex hoc veluti fonte multa derivabat ad aliquam vitæ actionem & morum emendationem pertinentia, iíſque pluſculum immorabatur. Poſtremò in varios affectus prorumpebat, nunc vehementiores, nunc leniores, ut captus auditorum, & ipſius argumenti ratio poſtulabat.

Miſſiones incboat à Montepeſſulano. 1631.

Porrò tantus erat dicentis ardor, ut vox illum ſæpe viréſque deficerent. Interdum abrumpens orationem, & meditanti ſimilis, derepente conſiſtebat. Tunc inardeſcebat vultus, tunc ità commovebatur intimis ſenſibus, tantáque vi, tanta ſuavitate, quaſi ruptis aggeribus exundabat oratio, ut ex oculis auditorum, & concionatoris lacrymarum rivi defluerent. Quamvis uteretur ſimplici

ac

ac populari sermone, sinè pigmentis & fuco; tamen ad eum audiendum splendidissimi quique cives catervatim accedebant; eóque audito improbissimus quisque salutari concussus pœnitentia discedebat. Lib. II.

Accidit ut concionator eximius, qui celeberrimas regni urbes eloquentiæ suæ famâ impleverat, Montem pessulanum prætereriens viseret. Attonitum successu tam incredibili cupîdo incessit audiendi hominis, cujus cælestis facundia tot haberet præcones, quot auditores. Audivit: erumpentémque templo cernens multitudinem propè infinitam cujuscumque conditionis, largo fletu perfusam, ardentem dolore, quem gemitus, suspiria, ejulatus, testabantur. *Nos verò*, exclamavit, *infelices & inconsultos, qui tantum laboris in elimandis nostris concionibus impendamus! Hujus sancti Missionarii orationes incomptas, & catechismo proximas, excipit omnium admiratio, & insignis morum emendatio consequitur: nos, postquam sudavimus in concionibus nostris perpoliendis, dolemus raros inveniri qui laborent eas audire; rariores qui auditis moveantur & proficiant.* *Ejus ratio concionandi.*

Neque tamen valde mirandum est fuisse in ore P. Joannis-Francisci Regis *sermonem DEI penetrabiliorem*, ùt loquitur Apostolus, *omni gladio ancipiti.* * Ad dicendum se comparabat longis ac solicitis precibus, & quem in oratione sacrum ignem toto hauserat pectore, eodem alios incendebat. Hinc actio illa vehemens, plena spiritûs & animi; illa vox tam suaviter, tam efficaciter in aures mentésque influens; prorsus ut intelligeres ipsum iisdem rebus commoveri, quas in auditorum animis defigere contendebat. * *Ad Heb. 4.*

Quamvis mortales omnes cujuscumque generis & conditionis caritas ejus complecteretur, neque suam viris honestioribus operam denegaret, peculiari tamen inclinatione voluntatis propendebat in salutem pauperum, erga quos optimi parentis amorem & viscera induerat. Inter illos ferè habitabat; obvios suavissimè amplexabatur: *Adeste*, inquiebat, *filioli mei, thesaurus meus, deliciæ meæ.* Sacræ pœnitentiæ tribunal in quo sedebat, ambiebant conferti: *Non deerunt ajebat confessarii lautis opulentisque civibus; pauperes, hæc portio gregis Christi magìs derelicta, meam sibi curam, amores meos sibi vindicant.* *Pauperū & ægrotorum cura.*

Ità loquebatur; ità sentiebat; séque pauperibus juvandis natum; illis, dum viveret, addictum, ac devotum esse oportere, censebat.

 Tem-

Lib. II. Tempus omne matutinum consumebat audiendis confessionibus, neque sanctum hoc ministerium intermittebat, nisi cùm dabatur signum explicandæ rudibus & pueris doctrinæ Christianæ. Tunc assurgens, & frusto panis, aut pomo, pastus obiter, interdum jejunus suggestum conscendebat. Indè ad vinctos in custodiis; ad ægrotos in nosocomiis, properans, ibi reliquum ponebat diem, neque ad collegium ante noctem se referebat, corporis ac valetudinis immemor. Quod aliquando cùm observâsset nobilis matrona, quæsivit ex eo vesperi, cur totum diem sic impastus exegisset; cui Joannes-Franciscus, *Fatebor*, inquit candidè, *id quod res est: dum hæc misera & inops turba me occupatum tenet, aliud cogitare nihil possum.* Nullus ægrotabat in civitate pauper, quem non inviseret, cui levamenti quidpiam non afferret. Singulis Sabbathis, & pridie solemnium festorum obibat urbem, & ostiatim divites compellans, eorum provocabat liberalitatem, ac beneficia colligebat. Nemo consequi verbis potest quemadmodum afficeretur aspectu miserorum, & quanta solicitudine ad eos sublevandos incumberet. Attentus, vigil, experrectus, excubabat in omnem partem, ut eorum latebras & tuguria deprehenderet. Ægroti quorum ulcera purulenta oculos intuentium vulnerabant, & fœtentes plagæ graviorem etiam mephitim inhalabant naribus, tantum abest ut illum absterrerent, ut potiùs allicerent suaviùs, quàm ceteri, ejúsque diligentiam acuerent. Purgabat & curabat illorum vulnera, neque ullum est ministerii genus tam sordidum atque despectum, quò se illorum causâ non abjiceret.

Si honestior paulò civis jaceret æger, & propter angustias rei familiaris, destitutus; non conquiescebat donec illum omnibus præsidiis & copiis largè effuséque instruxisset. Agebat cum medico, ut eum adiret gratis; cum piis matronis, ut laboranti adessent. Cúmque hæc omnia præstitisset, displicebat ipse sibi; & aliquid abesse caritati suæ, votísque judicabat. Vidit illum Mons pessulanus, ùt paulò antè Fonscoopertus viderat, per mediam urbem ire onustum stramentorum fascibus, quos emendicando corrogaverat, ut ægrotanti pauperi lectum sterneret. Risit puerorum turma procax, & nonnemo sapientem Crucis stultitiam ignorans, *Næ tu*, inquit, *ridiculus cum istoc fasce tuo fuisti. Bene habet*, subjecit Regis, *lucrum duplicatur, cùm ad officium caritatis, fructus humilitatis & opprobrii piè tolerati, accedit.* Ut autem hæc officia caritatis efficaciora essent, & magis diuturna, fe-

mi-

minas triginta, è primariis civitatis, unam in sodalitatem collegit, illísque curam custodiarum attribuit. *Lib. II.*

Iis præsertim ægris invigilabat quorum valetudo & vita veniebat in dubium, omnémque adhibebat industriam ut eorum salutem sempiternam in tuto collocaret. Hac impulsus caritate, quæ facilem ipsi aditum ad ægros dabat, domum subierat hæreticæ mulieris, quam morbo graviter periclitari audierat. Invisebat illam frequens, & obsequiis omnibus atque officiis prosequebatur, id agens ut mentem cæcam faciliùs illustraret. Ac veritatem illa quidem propositam agnovit: sed, errore ac vitio multis familiari, moras nectere parabat, nè cognitam statim profiteretur. Indoluit graviter DEI famulus, & novo succensus ardore, cunctantem urgere non destitit, donec restitutam Ecclesiæ gremio, & omnibus virtutum auxiliis, quibus vera fides & tenera pietas morientes armare solent, munitam excedere lætus vidit.

Mulierem hæreticã Ecclesiæ restituit.

Hanc de mulieris pertinacia & cunctatione victoriam, aliæ multò difficiliores, & majoris momenti; sunt consecutæ. Abundabat Monspessulanus mulierculis profligatæ famæ ac pudicitiæ, quarum illecebris juventus capta in exitium ruebat. Cæli blandissima temperies; adolescentum ex omni gente concursus, quos vetus & justa medicæ scholæ fama invitabat; demum hæresis ibi tunc regnans, magnam dabant sceleri licentiam, & sceleratorum numerum augebant. Tot animarum perniciem deplorans Regis, divinam opem gemitibus tacitis invocare non cessabat. Sed præcidendum mali fontem existimans, impurum illum gregem muliercularum exterminare constituit. Rem sanè arduam, nec minùs periculosam. Difficultate ac periculo major animus Apostolici viri fuit.

Feminas complures profligatæ vitæ ac famæ revocat ad bonam frugem.

Degebat non procul ab urbe famosum scortum. Rescivit; & accurrens, mulierem oratione tam efficaci, tam luculenta, commovit, ut è vestigio locum suæ libidinis deseruerit. Parum erat peccandi voluntatem eripuisse, nisì pariter causa peccati tolleretur, nimirum inopia, quæ miseram specioso necessitatis vinculo constrictam in flagitio retinebat. Huic malo ut mederetur, illi receptum in ædibus piæ matronæ comparavit. Hoc ubi manavit in vulgus, magnam apud omnes commendationem habuit. Non leviorem merebatur laudem puellæ nobilis ad bonam frugem traductio: sed quia minùs erat nota ejus nequitia, sermonis minus & admirationis populo præbuit. Apertum Divini verbi scalpello ul-

Lib. II. ulcus effudit venenum latens, & puella obſequens medico ſapienti, cedénſque urbe, in noſocomium ſe contulit, ubi caritatis & pœnitentiæ operibus dedita, ſuperioris vitæ deterſit labes, nec ità multò pòſt eandem felici morte clauſit.

Qui ad humanæ prudentiæ normam omnia exigunt, obſtupeſcent, opinor, cùm audient Euangelicum hunc animarum venatorem auſum eſſe ipſa obſcenitatis latibula ſubire, atque in ejuſmodi luparum, ut indè prædam raperet, luſtra foveáſque penetrâſſe. Verùm infinita propè illarum multitudo, quas à vaga & libidinoſa peccandi conſuetudine retraxit, perſpicuè docet, illum, DEO ducente atque approbante, uſque eò progreſſum fuiſſe, quamvis immenſa illa ſervandarum animarum cupiditas extra modum prodire aliquibus videri poſſet.

Nullum faciebant amici finem admonendi operam ipſum perdere; hæc publica libidinis mancipia nunquam ferme ſeriò reſipiſcere, aut certè (quæ vis eſt inveteratæ conſuetudinis) vulgò in priſtina revolvi ſcelera. *Tametſi* reſpondebat ille, *nullum alium laboris mei caperem fructum, quàm ut nè Divina Majeſtas vel ſemel gravi peccato læderetur, ſatis magnum operæ pretium feciſſe me arbitrarer.* Nihilominus conſtat peculiarem quandam conſtantiæ dotem in iis eluxiſſe, quas ad pudicitiæ leges ac decus, à licentia & ſordibus impudicitiæ revocabat; neque illas in amplectenda virtute minùs ſinceras extitiſſe, quàm firmas & ſtabiles in conſervanda; ipſarum magiſtro ac ductore idonea inconſtantiæ muliebri frenandæ remedia providente.

Igitur, nè metu egeſtatis, aut conſuetudinis tyrannide abreptæ rurſus in barathrum demergerentur, unde feliciter emerſerant, eas ab hoc gemino ſcopulo removebat, tradebátque certis, & expertæ probitatis matronis, quæ plures pauciorésue, interdum quinque ſimul, ſéxve, domi ſuæ tutabantur & alebant. Erant nonnullæ minùs depravatæ, quas inopia ſola impulerat in ſcelus: pudebat illas infamis vitæ, hanc tamen ut abjicerent adduci non poterant, quia nihil, unde victum peterent, ſuppetebat. Iſtis præcipuam impendebat curam: aliis honeſtum, ubi degerent, locum procurando; alias in religioſos inducendo cætus: omnibus neceſſaria ſubminiſtrans adminicula, ut ſtare in via juſtitiæ ſinè prolapſione poſſent.

Domũ feminis reſipiſcentibus parat. Cùm augeretur in dies feminarum numerus, quæ illo duce ad virtutis & pudoris caſtra transfugiebant, domus quærenda fuit,

quæ

quæ caperet universas. Idoneam coëmit, quæ postea *Refugium* est appellata, & cujus administratio religiosis commissa est virginibus, quæ illas sanctissimâ educant & continent disciplinâ. Ultimam huic operi pio manum adhibere tunc non potuit. Hiems illum ad rusticanas missiones discedere coëgit. Lib. II.

Ad ejusmodi Missiones jam pridem DEI famulus votis omnibus ferebatur, per quas fieret similior Christo, qui se *ad euangelizandum pauperibus* missum esse profitetur, quíque Judææ oppida & pagos Hierosolymitanæ civitati semper prætulit. Laboriosum hoc stadium Sumeriis est ingressus, exeunte anno 1631.

Missio Sumeriis; ac per totam Lavonagiã, exeunte anno 1631.

Sumeriæ, oppidum est Occitaniæ, quatuor leucis distans Montepessulano, caput cultissimæ regionis, cui Lavonagiæ nomen indigenæ fecerunt. Hæretici catholicis & numero & opibus longè præstabant. Agri fertilitas, amœnitas sitûs, opulentia mercatorum, concursus nobilium, qui locum frequentare, in eóque gaudebant considere, magnam oppido celebritatem conciliabant. At hæresis ità mores contaminaverat, ut à Calvinistis Catholici, nisì penès quasdam cærimonias, non discreparent. Qui cælestis doctrinæ panem parvulis frangeret nemo erat, cùm parentes eadem ac liberos vexaret inscitia: plerique omnes turpi laborabant rerum divinarum ignoratione, aut sceleratâ licentiâ fruebantur. Movit apostolicum pectus oppidi facies miserabilis. Fiduciâ tamen divinæ misericordiæ erectus, remedium aliquod afferri tot malis posse speravit. Juvat ordinem exponere, quem in functionibus Euangelicis constanti tenore semper adhibuit.

Quem in Missionibus obeundis ordinem servaret.

Postquam duas trésve ad summum horas somno indulserat, reliquam noctem meditationi rerum cælestium, & parandis concionibus tribuebat, donec subiret in templum. Eò se conferebat ante lucem, ac protinus explicabat aliquod divinæ legis caput familiari & obvio sermone. Deinde operam dabat peccata confitentibus; mox ad populum dicebat. Post concionem ad sacrum pœnitentiæ tribunal se referens, in eo tandiu perstabat, dum faciendâ re divinâ matutinum tempus clauderet. Pomeridianum transmittebat erudiendis pueris, visendis ægris, pauperibus sublevandis, sedandis litibus, & diffidentibus in gratiam reducendis. Sub vesperum rursus concionabatur; mox confessiones excipiebat ad multam noctem, adeò ut illum à sacro tribunali veluti per vim avellere parochi sæpe cogerentur.

Ut se ad populi captum accommodaret, agendi modum se-

Lib. II. ctabatur nativum & ſimplicem : oratio nervorum & roboris ſanè plena, ſed quæ in rudium & imperitorum intelligentiam caderet : ſermo è medio ſumptus ille quidem, nihil tamen humile abjectúmque ſonans : vultus neſcio quid divinum ſpirabat : actio vehemens & incitata verbum ſalutis penitùs animis inſculpebat. *Mors peccatorum peſſima*, noviſſimi judicii ſeveritas, inferorum æterni cruciatus, dilatæ pœnitentiæ labes & ruina, quotidianam illi ferè materiam dicendi ſubminiſtrabant. Hæc terribilia & illuſtria Euangelicæ ſcholæ placita, tam acri, tam aptâ concutiendis animis oratione tractabat, ut auditores attoniti, ſtupentes, & aculeo ſalutari transfixi, diſcederent.

Primis diebus ſtatim urbem totam commovit. Ad eum audiendum non modò populus, ſed cum nobilitate, clerus catervatim concurrit. Jam tum viſus eſt homine major, & ad reſtituendos in priſtinæ diſciplinæ integritatem mores, è cælo miſſus. Cùm verba faceret, ſuſpiriis templum omne circumſonabat, rigabantur lacrymis ora, ipſe orator, præ animi impetu, vix ſui compos à fletibus non temperabat.

Ejus concionum Evangelica ſimplicitas reprehenditur.

Hæc audiendi aviditas, juncta cum ſucceſſu tam admirabili, ſatis oſtendebat illum non ſinè certo Numinis inſtinctu impulſúque incomptam hanc & pæne rudem dicendi rationem ſecutum eſſe. Floridior alia placebat ſocio, qui ſententiæ ſuæ tenax, ſæpe illum negligentiæ in dicendo, & ſermonis parum emendati, arguebat. Auſus quin etiam eundem propterea parum liberali joco inſectari. Arguentem placidè audivit DEI famulus; gratias egit, útque pergeret ſe admonere, obſecravit. Citò ſubiit ſocium pœnitentia inconſultæ reprehenſionis, ac veniam ſupplex rogavit. Cui Regis; *Nimiùm citò beneficii te pænitet, quod in me contuliſti.* Nec raro poſtea idem ſocius confeſſus eſt, nunquam ſibi veniſſe in mentem ſuæ imprudentis cenſuræ, quin erubeſceret; nunquam religioſæ humilitatis ſervi DEI, quin eâ ſuaviſſimè tangeretur. Quod mendosè faciunt non pauci præcones Euangelii ut plauſum captent oratione culta & limata, id ſedulò fugiens P. Regis ſuum illud ſolemne dicendi genus ſimplex & inornatum ſemper tenuit; neque idcirco minùs frequenti, aut minùs benevolo utebatur auditore, etiam cùm pueros & rudes Chriſtianæ religionis myſteriis erudiret, id quod duabus continenter horis quotidie factitabat, nimirum expertus nihil eſſe ad extirpanda vitia, & reſtituendam pietatem efficacius inſtitutione puerili.

Ma-

Perspecta sanctitas animos omniũ illi conciliat.

Magnum ejus orationi pondus addebat vitæ sanctimonia. Omnibus amicam & ineluctabilem vim faciebat orator crucem unicè anhelans, mendicato victitans cibo, signa omnia veri Apostoli præ se ferens. Illa singularis erga pauperes caritas, illa oris & corporis totius conformatio, modestiam, humilitatem, & mentem intùs occupatam DEO, spirans; illa comitas admirabilis, in congressu, in actione omni, relucens, animos dulcissimis & invictissimis illecebris rapiebant.

Mira patiendi sitis.

Operarium infatigabilem nullus explebat labor: locus erat nullus tam desertus, tam agrestis in vicinia, quò sua illum caritas non propelleret. Sæpe concionatus summo mane Sumeriis, inde procurrebat jejunus, & in summa hiberni frigoris asperitate; pagos complures pedibus perlustrabat, ubique doctrinæ Christianæ semen spargens, ubique confitentibus operam dans. In oppidum reversus vesperi, statim suggestum conscendebat, & peracta concione, conferebat se ad audiendas confessiones, nunquam defessus labore, nunquam victus; idem semper ingentis animi vigor, licèt sæpe vires exhaustæ deficerent.

Succubuisset millies, nisi DEUS languentem & pæne confectum sustentans, opera ad majora reservâsset. Quippe tot laboribus, quibus omnino frangendus videbatur, voluntarias corporis afflictationes addebat, in iisque vix habebat modum. Ad panem & aquam obsonii adhibebat nihil, præter lactis pauxillum aliquando, & fructuum: nullus carnis, piscium, ovorum & vini usus. Post diem solidum, & bonam noctis partem, in labore consumptam, quies modica humi, aut in tabula. Juge cilicium; nullus demum finis macerandæ carnis, ceteroquin laboribus attritæ. Itaque non raro medio in opere collapsum & exhaustum anima deficiebat, adeò ut vicinas in ædes deportandus esset, ut ibi spiritum reciperet.

Orabant plurimi, at frustrà, nè se temere sic perderet: posse immensam illam, qua flagrabat, patiendi pro Christo famem satiari quotidianis ærumnis, quæ cum Euangelico ministerio erant conjunctæ: hac immodicâ vitæ austeritate nihil effici aliud, quàm ut ad salutem proximis afferendam inutilis, & omnino mancus evaderet. Surdis hæc auribus canebantur. Id unum audiebat quod DEI gloria, quod salus animarum suaderet; propositásque valetudinis tuendæ cautiones, tanquam indignas homine apostolico

 deli-

Lib. II. delicias intuens, id unum in voluptatis & solatii ducebat loco, si quotidianam de se hostiam DEO immolaret.

Fructus uberrimos è Missione colligit Sameriis.

Fructus uberrimi, quos è concionibus colligebat, omnem laborum memoriam obliterabant. Ut artem persuadendi & movendi mirificè callebat, cedebant dicenti manúsque ultro dabant improbissimi quique, & in flagitiis obstinatissimi, mulieres perditissimæ, hæretici pertinacissimi. Attonitus ipse prodigiis, quæ cælestis gratia, in reducendis ad frugem bonam mortalibus, adjutore se, atque administro, ediderat, ad Præpositum Generalem scripsit fructum expectatione multò majorem fuisse; tantúmque, ut eum oratione consequi nullo pacto posset. Alii videbantur esse cives, ac prioribus dissimiles: adeò mutata civitas, & culti emendatíque mores pristinam turpitudinis ac nequitiæ faciem exuerant.

Hæc Sumeriis feliciter gesta. Qua Missione perfunctus DEI famulus alias in variis Lavonagiæ locis instituit. Eædem ubique exercitationes, iidem labores, idem Euangelici operarii conatus, ardor, & successus: concursus idem populi, morum emendatio par. Pagos & tuguria concursabat, docendo, concionando, pauperes, ægros invisendo. Nihil ejus curam attentionémque fugiebat, videbatúrque incredibile hominem unum tot, támque diversis ministeriis parem esse posse. Rerum Sumeriis gestarum fama, & mutatæ in melius tam insigniter civitatis miraculum, ità mentes præparaverat, ut simul atque percrebuerat eum alicubi degere, huc è vicinia undique ad eum audiendum multitudo convolaret, eáque propè innumerabilis, etiam in locis minimè frequentibus; domúmque repeterent omnes dolore peccatorum intimo luctúque perciti, & virum Apostolicum laudibus in cælum ferrent.

Ædem sacram à vastitate defendit insigni fortitudine.

Ejus sanctimoniæ opinionem memorabilis casus auxit. Missionem obibat in pago, prope Sumerias, cùm rustici, rumore adventantis militum turmæ perterriti, sacram in ædem trepidè refugerunt, eò rem domesticam & quidquid pretii majoris erat, comportantes: ità quippe sperabant fore, ut si templi sanctitas militem non cohiberet, saltèm ipso loci situ se suáque tuerentur. Milites, domos vacuas nacti, & prædam sibi ereptam dolentes, ædis sacræ valvas moliri, aditúmque perrumpere constituunt. Incolæ ad vim injustam fortiter repellendam se accingebant, à numero, ab animis, & armis non imparati. Res in ultimum adducta discrimen erat, his aviditate prædæ accensis, illis se suáque defendere parantibus, ipsa desperatione spem atque audaciam stimulante.

Mis-

Missionarius interim excipienda ægroti confessione occupatus, quid ageretur audivit. Advolat, & armatus cruce in medios milites irrumpit, obsecrans per Christi sanguinem, ut loci sanctitate moveantur, ut parcant inopiæ miserorum, qui vix modicis opibus & fortunis, quas illis ereptum ibant, familiarum suarum angustias & tenuitatem poterant sustentare. Addidit certum sibi ac deliberatum esse debitam sacris altaribus venerationem, etiam profuso sanguine tueri, nec sibi quidquam accidere optatius posse, quàm ea de causa mortem oppetere.

Ubi surdis irrita jactari verba vidit, & sceleratos ad viam vi faciendam prosilire, stetit in porta, & militem, qui primus ruebat, manu corripiens, *Siste*, inquit elata & minaci voce, *siste sacrilegum caput. Tune, præsente me, majestatem Numinis violare audeas domi suæ? sic habeto, aditum huc, nisi per calcatum DEI viventis Ministrum, nunquam hodie tibi fore. Feri, macta: præstò sum; at ultorem violati templi DEUM, celerémque pœnam, time.* Conturbati hac oratione, plenâ spiritûs atque imperii, & heroicam pectoris Apostolici fortitudinem admirati, omnes taciti atque innoxii discessere.

Gravem contumeliam latus accipit.

Pares animos, in dispari occasione, sed successu quoque dispari, præ se tulit. Calviniani milites in ejusdem regionis pago minabantur se direpturos hospitis sui domum, nisi hospes infelix direptionem redimeret præsenti pecunia, quam numerare non poterat. Hic nuntius ad DEI famulum perlatus est, cùm doctrinam Christianam in templo explicaret. Prodit ex templo & ad rustici periclitantis ædes rectà tendit. Properantem retinere conati sunt qui aderant, cùm dicerent milites Calvinianos esse, quos non nesciebat internecino in Jesuitas odio flagrare; irritandos ejus præsentiâ feroces animos, ac timendum nè quid ab iis oriretur injuriæ: cavendúmque prudenter nè qua daretur improbis ad sæviendum ansa.

Respondit vir sanctus se non ignorare milites esse Calvinianos, atque idcirco vel maximè se properare ut eorum furori hominem catholicum eximeret: præclarè secum actum iri, si periret hæreticorum manu. *Quin possum*, addidit, *sanguinem fundere Christiani causâ, quem Christus redemit suo! Quàm libenter caderem martyr & victima caritatis! Sed tam beata sorte dignus non sum.*

Festinabat interim summa celeritate, quò illum propulsandi peri-

Lib. II. periculi gravitas & ſpes urgebat. Ut venit, milites aggreditur comitate ſolita, & profuſis lacrymis orat ut incepto deſiſtant, ut æquitatis & clementiæ meminerint. Illi aſpectu Jeſuitæ magis efferati, non modò ſanctitatem hominis reveriti non ſunt, verùm ejus precibus & lacrymis nihil præter convicia & ludibria repoſuerunt. Poſtquam intellexit humilis DEI famulus nihil preces ac minas ad impiorum vim comprimendam valere, tacitus abſceſſit, dum iſti abeuntem conjectis, quorum fortè illic acervus jacebat, cæpis, & jocis militaribus conviciiſque, proſequebantur.

Hæreticus centurio ejus humilitatē laudat.

Regis omnibus lætitiis incedebat, quòd partem aliquam opprobriorum Christi deguſtaret. Nihilominus, ùt erat tam diligens alieni commodi, quàm negligens ſui, ductorem militaris turmæ adiit, oravítque ut juberet ruſtico reſtitui, quod ipſi per vim ablatum fuerat. Audivit orantem perhumaniter ductor, quamvìs hæreticus, & quod petebatur annuit. Cùm verò nullam ab eo mentionem fieri vidit injuriæ & contumeliæ, quam illatam ipſi à militibus audierat, vehementer obſtupuit, & hujus ſilentii cauſam quæſivit. Cui Regis, *Præcones Euangelii*, ait, *ità comparatos eſſe oportere ſcito, ut hominum contumelias & maleficia in beneficiis numerent. Hoc ſuis miniſtris Eccleſia vera præcipit, ut opprobria & ferant patienter, & benignè condonent. Cur enimverò querar, aut doleam, oblatam eſſe mihi occaſionem mores meos ad religionis meæ placita conformandi?* Adjecit ſe beneficii locò unum poſtulare, ut milites ſuos compeſceret, & eorum vim ab incolis prohiberet. Promiſit ille, reſponſi probitatem admirans, promiſsíſque ſtetit. Antequam Regis finem primis iſtis Miſſionibus imponeret, inſtituit ſodalitatem Sanctiſſimi Sacramenti Sumeriis, & in omnibus oppidis pagíſque Lavanagiæ. Familias mutua pace devinxit, compoſitis litibus; curavit ut cives, ſuæ quiſque domi, certas manè ac veſpere preces funderent; modum ſublevandi pauperes in ſingulis parœciis præſcripſit: nihil denique prætermiſit, ùt opera pietatis bene inchoata, eſſent quàm maximè diuturna.

P. Balthaſar *Carreil*, Rector Collegii Montis peſſulani putavit Præpoſitum Generalem Societatis de fauſtis P. Joannis-Franciſci laboribus certiorem eſſe faciendum. Ad eum ſcripſit peragratas ab hoc impigro Miſſionario fuiſſe varias partes diœceſeon Montis peſſulani, & Nemauſi: Apoſtolicæ caritati ærumnas incredibiles, ærumnis parem fructum reſpondiſſe: multos peccatorum, multos errorum & hæreſeon vinculis exſolutos; incertum plúſne roboris

an

ari suavitatis ejus concionibus inesset: illis verò singularem vitæ sanctimoniam suffragari, ejúsque virtutum odorem tota regione diffusum, longè latéque permanâsse. Ab his initiis nihil non expectari oportere. Atqui præludebat duntaxat istis primarum Missionum quasi velitationibus, ad graviora certamina, & majoris molis Missiones, quas in Vivariensi tractu suscepturus erat. Lib. II.

Deploratus Vivariensis Diœcesis status, cum eam excolere P. Regis est aggressus.

Cùm diœcesim Vivariensem nunquam intermisso labore per triennium excoluerit, operæ pretium est cognoscere quo in statu religionem ibi offenderit: indè quippe magnitudo laboris, & successûs, clariùs apparebit. Diœcesis Vivariensis pars est superioris Occitaniæ, urbibus, oppidis, & pagis quàm plurimis consita. Abundat regio silvis densissimis, & montibus in immensam altitudinem editis. Videre est loca tam deserta & inculta, ut meritò dubites hominibúsne, an feris, habitentur. Decimisexti seculi pars ferè dimidia fluxerat, cùm hæresis Calviniana, torrentis ritu, ruptis aggeribus exundantis, per universam bacchata Galliam, in Helvios (id priscum Vivariensibus nomen) se se violentiùs effudit, ac miserandam latè stragem edidit. Regio infelix brevì theatrum evasit, in quo crudelitas, ambitio, impietas, personam quæque suam & luctuosas vices egerunt. Cœnobia incensa, vel diruta: templa destructa, vel profanata; deturbatæ aræ, quíque in iis adorandam hostiam immolabant sacerdotes ipsimet Calviniano furori immolatæ victimæ, & diris modis excruciatæ ceciderunt. Non fuit satis teterrimam in oves carnificinam exercere; sævitum in pastorem, & Eucherius à Sancto Vitale, Vivarii Episcopus, exturbatus urbe, & Avenionem profugere coactus est.

Ab eo tempore montes Helviorum, tanquam arces tutissimas, & munitiones impenetrabiles, Hæresis occupavit. Perdomitæ fuerant urbes pertinacissimæ, Nemausus, Monspessulanus, Angeriacum, Monsalbanus. Vivariensium perfidiam frangere nulla vis, auctoritas nulla potuerat. Addebat illis animos Gebennicorum vicinia montium, in quibus excitati nostra tempestate rebellium tumultus, & periculosæ factiones, satis docent quid fanatica plebs tunc auderet, cùm Calviniana secta, excusso Ecclesiæ Principísque jugo, liberrimè regnaret. Altum illa quidem & immane vulnus anno 1628. acceperat, excisâ Rupellâ, sed eo tamen extincta & exterminata non fuerat: collegit se ac paulatim veluti revixit in Helviorum urbibus. Privatium oppidum cùm oppugnaret Ludovicus XIII. non indignum majestate sua duxit, si obsidionem præ-

Lib. II. ſens ipſe regeret. Privatio expugnato, & mænibus exuto, Calvini gregales in iſtis Vivarienſium latibulis, numero, armis, & audaciâ freti, metum incutere pergebant, impiósque ritus eo celebrabant confidentiùs, quòd illos prohibere neque tutum, neque ſatìs conſultum videbatur. Datum eſt aliquid turbulentis temporibus, ſatiúſque creditum indulgere nonnihil ferocibus animis ad vim & rebellionem ſemper accinctis.

Nemo non intelligit quàm deplorandus eſſet ſtatus religionis in ea regione, in qua hæreſis, dominandi avida, confirmare ſuas opes, & ſedem quandam regni ſtatuere ab annis quinquaginta incredibili furore laborabat, & ubi reipſa triſtem adepta dominatum, duriſſimam tyrannidem exercebat. Ut ruina morum labem religionis ſecum trahit, vitia turpiſſima in Vivarienſium agros error introduxit, quæ funeſta contagione catholicos brevì depravârunt. Uſura & mala fides ubique regnabant; ubique cædes & latrocinia: nihil ſecurum publicè: montes receptacula prædonibus dabant, qui obvios quoſque, ſinè diſcrimine, pecuniâ ſpoliabant, aut vitia. Catholici juxtà atque Hæretici in crapulam & fœdiſſimas libidines effuſi. Hanc morum corruptelam ſecuta eſt rerum ſanctiſſimarum profana violatio. Catholici, quibus inſtillata cum lacte impietas, potentiorum hæreticorum gratiam captabant, illis imitandis, & auguſtiſſimas religionis cærimonias per jocum & ludibrium in ſermonem adducendis. Catholici nimirum verbo tenus, & nomine.

Miniſtri Domini, per quos afferri malo remedium oportebat, illud fovebant moribus flagitioſis; interdum populo ipſo nequiores. Ovile Chriſti paſſim aut paſtoribus deſtitutum, aut parochorum curæ demandatum, quorum turpis vita, & inſcitia miſerabilis. Ignoratio divinæ legis ferales ubique tenebras offuderat. Ruſtici obliti erant, aut potiùs nunquam cognoverant, myſteria religionis, atque officia præcipua, & maximè neceſſaria. Sic in teterrima miſerrimi temporis perturbatione, cùm hinc cæcus hæreſeos furor, indè civilis belli rabies veſana baccharetur, vacuam tantùm & inanem umbram Chriſtianæ legis ac fidei Vivarienſes retinebant. Ædes aliquot ſacræ ſemirutæ; aliquot cærimoniarum nondum obliteratus uſus, deformes religionis antiquæ reliquias oſtendebant.

Hæc erat Vivarienſis diœceſis luctuoſa facies, cùm partim hæreticorum in ſchiſmate pertinacium, partim catholicorum, divinæ

vinæ legis ignorantiâ, & morum infamiâ laborantium; tetra colluvies sacra pariter & profana omnia miscuerat. Ludovicus Franciscus *de la Baume de Suse* Vivarii creatus fuerat Episcopus jam indè ab anno 1621. Clarum viri genus, & spectatum non semel religionis studium, Ludovicum XIII. impulerant ut ejus fidei curæque committeret hunc Episcopatum, magni, ùt erant ea tempora, præter ceteros, momenti. Tristes suæ diœceseos ruinas jam dudum Præsul optimus deplorabat, ídque eò dolentiùs, quòd nulla remedii adhibendi patebat via. In omnem ejus lustrandæ occasionem imminens, ad hæreticos veritate, ad catholicos vera pietate imbuendos, retardatus semper fuerat desperatione rei unquam feliciter conficiendæ. Advenit fortunata demum dies, qua populum infelicem respicere divina benignitas decreverat. Lib. II.

E multorum sermonibus litterísque cognoverat Præsul vigilantissimus, quàm prospere, quàm secundis Superis, rem Euangelicam gereret in Missionibus P. Joannes-Franciscus Regis; ùt viam sibi per omnia vel maximè clausa & invia cælestis facundiæ beneficio faceret: nihil putavit à se fieri præstabiliùs posse, quàm si hunc meditati operis adjutorem ab ipsius moderatoribus postularet. Itaque scripsit ad P. *La Case*, Provincialem Societatis; ejusmodi hominem sibi opus esse dictitans ad reparandas suæ diœceseos ruinas. Provincialis, nec fas nec rectum judicans, Episcopo quod postulabat negare, datúmque sibi locum gaudens pios ejus conatus adjuvandi, Patrem Regis ultrò illi concessit, cui comitem adjunxit P. Jacobum *Beyssen*, in hoc Missionum campo non sinè laude versatum.

Regis, cognita superioris sui voluntate, gratias divinæ Providentiæ ingentes egit, per quam obtingeret sibi tam præclara occasio pulcherrimæ messis colligendæ; & in viam statim se dedit. Præsul visendi hominis avidus, cujus egregias dotes, ac præsertim insignem sanctimoniam, consentiens ubique fama vulgabat, venientem summa cum voluptate, ac propemodum veneratione, amplectitur: narrat deinde quid audierit de rebus ab eo ad fructum animarum mirificè gestis in diœcesibus Nemausensi & Montispessulani; sperare se haud minùs utilem inter Vivarienses operam ipsius fore: deliberatum sibi esse obire atque inspicere diœcesim suam, útque negotium è sententia succederet, nihil sibi meliùs visum, quàm si eundem operis tanti socium assumeret. Ad extremum oravit commendatam DEO suis in precibus rem haberet, ex qua tot animarum salus pendebat. *Diœcesim Vivariensem cum Episcopo lustrat, anno 1633.*

 Re-

Lib. II. Regis primùm gratias amplissimas egit illustrissimo Præsuli, à quo se tanto affectum honore cerneret; deinde promisit se effecturum, quantùm posset consequi, ut votis ejus & electioni responderet. Addidit agi secum præclarè quòd liceret sibi tanti Præsulis ductu regi, & exemplis accendi, quibus instructus non dubitaturus esset quietem suam, imò vitam ipsam, ovium ejus saluti & obsequio devovere.

Præsul modestiam famuli DEI suspiciens, & nescio quo sanctitatis odore delibutus, quem ejus sermo, ac totus ipse, redolebat, jam tum ex hoc primo colloquio illi se suavissimo amicitiæ vinculo devinctum sensit. Consequentibus diebus eidem se candidè ac penitùs aperuit. Quàm lamentabilis diœceseos suæ status esset, quid cepisset consilii ad restituendos cum disciplina mores, exposuit.

Postquam rerum agendarum modum & ordinem cum illo constituit, lustrationis initium fecit sub finem veris anni 1633. triennio post generalem Vivariensium defectionem. Præivit Regis ut populum adventanti præsuli præpararet. Ut autem coràm aspexit morum tetram luem, tota latè diœcesi fusam, malo minorem cognovit esse famam, & imaginem quam animo informaverat, licèt fœdam atque horridam, longè tamen à vero abesse intellexit. Totum visitationis tempus in perpetua Missione consumpsit. Loca vel maximè inculta, derelicta, & abstrusa, tanquam Episcopi præcursor peragrabat labore ac molestia incredibili. Agrestes illi, ac pæne barbari montium incolæ, qui nunquam sacrum Euangelii conspexerant ministrum, stupebant cùm Missionarium infatigabilem cernerent obire singillatim mapalia, & vitæ capitísque periculum adire, ut ipsos per vias situ aspectúque horridas conveniret. Ejus sanctitatis perspecta brevì & sparsa lux, omnium oculos in illum, tanquam hominem peculiari Superûm dono datum, convertit. Cùm venturus aliquem in locum audiebatur, illuc toti concurrebant pagi. Addebant se socios Catholicis Calviniani, tam novæ, tam inauditæ virtutis exemplo perculsi; nec satiari poterant prædicandâ & admirandâ Euangelici Missionarii vitâ, quem neque ipsorum agrestis & immunda rusticitas, nec tuguriorum paupertas & angustiæ, deterrebant quin eorum casas, vel spelæa potiùs ac latibula, subiret. Flentes & ad ejus genua provoluti, totos se ipsius curæ caritatíque permittebant.

Egre-

Egregia, qua pollebat insigniter, comitate non solùm paupe- res & infimos quosque demerebatur, sed genere opibúsque claros, quorum in moribus tantùm est ponderis ac momenti, seu vitii, seu virtutis partes amplectantur. Enituit inter illos Comes *de la Mothe Brion*, qui se socium & asseclam Apostolico deinde viro sic junxit, ut ab ejus latere non discederet, & cujus exemplum universa ferme nobilitas regionis est imitata. Eum inter provinciæ primores præcipuè commendabant non solùm à majoribus accepta claritas, verùm etiam propriæ dotes eximiæ; prudentia singularis, usus dexter, ac tractatio negotiorum, sæpius experta; intelligentia denique non vulgaris rerum ad religionem spectantium, de quibus non aliter ac doctores, magistríque, disserebat. Tot laudes in unum hominem congestæ magnam illi conciliabant auctoritatem inter populares suos, in quibus locum insignem obtinebat. Missionum P. Joannis-Francisci successum nemo feliciùs promovit; ac proinde non erit alienum docere quo ex fonte orta sit hæc amicitia, quæ illum cum DEI famulo arctissimè conjunxit.

Lib. II. Comitem de la Mothe perfectioris vitæ studio accendit.

Cùm tota regio nomine ac rebus gestis novi Missionarii circumsonaret, illius visendi studio contulit se Comes in pagum, ubi solitas obibat functiones. Imbuta cælesti quadam unctione concionatoris oratio, æquè ac vita mirum in modum illi placuit. Sempiternæ salutis negotium, magnum illud præ cæteris, atque unum porrò necessarium, secum reputans, hominis amicitiam expetiit, quem divino spiritu plenum esse prorsus apparebat. Multò id magis persuasum habuit cùm eundem est allocutus; itaque intimos illi recessus animi sui aperuit, eúmque conscientiæ suæ arbitrum sumpsit.

Sanè ad eam usque diem ità vixerat Comes, ut exactam ad omnes Christiani officii leges probitatem palam sectaretur; antiquæ religionis cultor perquam studiosus, & acerrimus defensor. Sed, quo more solent sapientes hujus seculi, elatus avitæ nobilitatis gloriâ, & in rem semper augendam intentus, blandas amplioris fortunæ spes alere non cessabat. Concionibus & colloquiis servi DEI permotus Euangelicam profiteri sapientiam decrevit. Ac principio quidem curæ fuit emendare quidquid in suis vel familiæ moribus vitiosum esse deprehendit; deinde animum impensiùs adjecit ad res divinas meditandas; Pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramenta singulis diebus Dominicis usurpavit; totum se sublevandis dedit pauperibus, & purgandis ab errorum lolio hæreticis, qui-

Lib. II. bus ipſius prædia ſcatebant : denique viri ſancti monitis & conſiliis tam feliciter eſt uſus, ut exemplar veræ virtutis in eo tota nobilitas haberet.

Dici non poteſt quanto uſui & adjumento Comes fuerit famulo DEI ad exequenda quæ moliebatur in rem animarum. Ubique præſtò erat ad pios ejus labores provehendos ; útque magnum in provincia nomen Comitis, magnæ opes, erant, nihil occurrebat ſancto Miſſionario tam arduum ac difficile, quod tam potenti patrocinio fretus, ad optatos exitus non perduceret. Illi nummos affatim Comes ſubminiſtrabat ad levandam pauperum inopiam, invitabat nobiles ad eum audiendum, hæreticos ad conferendum cum eo ſermonem hortabatur : flagitioſos, & in vulgus malè notos ad eum adducebat, ut illos in viam ſalutis virtutíſque reduceret ; quid piè, quid utiliter fieri poſſet ſuggerebat, útque fieret, auctoritatem ſuam inſigni ſtudio & fortitudine interponebat. Per idem tempus P. Regis alterum nobilem virum vitæ perfectioris amore ſuccendit. Nomen illi *de La Suchere*. P. Joannis-Franciſci diſcipulus fuerat Anicii, ejúſque virtutem exinde per magni ſemper fecerat. Ceterùm pietatem altis radicibus habebat in animo defixam, quam nullus ſeculi corrupti turbo convellere potuerat. Lætus reperto magiſtro cariſſimo, quem ſemper ùt ſanctum ſuſpexerat ; nec minùs delectatus Apoſtolici miniſterii, ab eodem tam præclarè utilitérque geſti, ſucceſſu, totum ſe ipſi regendum tradidit ; eóque rectore tantùm profecit, ut ſuæ conditioni conſentaneam perfectionem virtutis omnem brevì ſit conſecutus. Sancto deinde pietatis & amicitiæ fœdere cum Comite *de la Mothe* conjunctus, unà cum eo in rebus gerendis, quas P. Regis ad divinam gloriam aggrediebatur, adjutor illi ſemper & adminiſter extitit. E duobus iſtis, nobilibus æquè ac prudentibus viris cognita eſt magna pars eorum, quæ ſanctus Apoſtolorum imitator, in Vivarienſium urbibus egregiè geſſit, & quæ oblivioſo ſepulta ſilentio, nunquam, abſque illis teſtibus, in lucem hiſtoriæ venire potuiſſent.

Alterum nobilē ad perfecta virtutis culmen erigit.

Quemadmodum libidinis fœdæ lues Eccleſiam una vel maximè populatur ac deformat, ſic ad eam extirpandam vires omnes induſtriámque Regis contulit ; præſertim cùm eandem per omnes populi gradus, etiam ſanctiſſimos, impunè graſſari deprehendit. Nihil familiare magìs atque obvium erat quàm concubinatus inter ipſos templorum miniſtros. Tetrum atque immane monſtrum,

cui

cui ortum hæresis, auctoritatem consuetudo, jus quóddam licentia dederat! Huic sanctus Missionarius acerrimum bellum, neque unquam intermissum, indixit, & debellatum profligatúmque omnibus vulgò locis, ubi pedem figebat, expulit. Præcipuum illi certamen cum mulieribus, quæ libidine publicâ infames cladem latè ac vastitatem afferebant. Illas partim Christiana lenitate, partim invicta fortitudine, ad deditionem ferè universas compulit. Lib. II.

Dominus *de Simiane* Vicarius Generalis Diœcesis Vivariensis, sæpe testatus est datum id divinitus servo DEI, ut feminis vel perditissimis amorem castimoniæ inspiraret. *Non rarò contingit*, addebat ille, *ut ejusmodi prostibula post factas aliquandiu inducias, referant se ad pristina impudicitiæ castra, consuetudinis impetu tyrannico abreptæ, ac priora scelera gravioribus cumulent. At nullam earum, quas P. Regis in viam salutis reduxerat, vidi quæ locum virtutis deseruerit, quæque illum, ad extremum usque spiritum etiam inter medios hostes & aperta pericula, non tenuerit.*

Hoc ab uno exemplo cognoscere licebit. Dum diœcesim lustrat, incidit in mulierem ex isto grege, scopulum & perniciem lectissimæ juventutis. Doluit ejus vicem, & eorum quos malè perdebat. Aggressus miseram turpi jugo liberare, opus magnæ molis, & opinione difficilius invenit. Quippe mulier elegantiam ingenii cum forma elegantiore conjunxerat. Adde patrocinia multorum, quos sibi devinctos tenebat, & quibus potens ac ferox erat. Itaque subeuntem Missionarium superbo fastu & contemptim excepit. Non turbatus aditu tam parum prospero Christi peritus miles, acrior ad pugnam redit. Visit illam identidem, & tempore dato, alloquitur, sempérque salutarem aliquam infligit nec opinanti plagam, victrici suavitate, quâ ferocissimos quosque animos expugnabat.

Instantem, & in hac sudantem pugna, conspicatus Vicarius Generalis: *Nihil agis*, inquit, *& frustrà te maceras ac torques, mi Pater: validioribus catenis peccato est obligata, quàm ut eas frangere unquam possit.* *Equidem*, subjecit Pater, *ità se rem habere, ùt dicis, crederem si meæ confiderem industriæ; at misericordiâ divinâ fretus, quæ mortalium mentes frangit flectitque, ùt lubet; bonâ, imò non dubiâ, spe sum fore ut perruptis vinculis, fœdam exuat servitutem, & Christianæ pœnitentiæ memorandum specimen evadat.*

Spem non temere, nec falsò conceptam exitus docuit. Totam

Lib. II. tam se DEO reddidit, ac nè datam illi fidem aliquando frangeret, contulit se Avenionem, & in eam accepta domum est, quam vulgi sermone *Conversarum mulierum* appellant. Ibi, sancti propositi tenax, è corporis vinculis paucis pòst annis excessit, non sinè desiderio luctúque civitatis, quæ illius exemplis & pietate fruebatur. Hic divinæ gratiæ triumphus longè latéque celebratus, efficacis Missionarii virtutem novo splendore illustravit.

In mores parochorũ emendandos incũbit.

Jam pridem ille induxerat animum operam à se frustrà in emendandis ovium moribus consumptum iri, nisì pastores ipsos emendaret, quorum ad normam populus vulgò se componit, rectum licitúmque judicans, quidquid illorum exemplis veluti comprobatur. Huc ergo curam contulit ut agrestium parochi vitam, quæ in illis erat sanè probrosa, dignam sacris altaribus instituerent. Principio inquirebat quid in singulis præcipuè vitiosum, quid cum aliqua conjunctum laude, foret. Si quos nancisceretur nondum ministerii sui & nominis oblitos, illis addebat animum, hortabatur ut constantiam tuerentur; adhibebat illos in consilium de rebus gerendis, commendabat eosdem Episcopo, ipsorum integros mores, diligentiam in fungendo pastorali munere, laudabat.

At quorum comperisset vel negligentiam in officio, vel turpitudinem in moribus; nihil omittebat, ut istorum excitaret vigilantiam, horum sordes elueret. Agebat cum omnibus reverenter ac demisè; tam modestè, tam suaviter eosdem admonebat, ut monitorem spiritu Christi & caritate impulsum fuisse facilè appareret. Illud ante omnia studebat ut eorum existimationi ac famæ consuleret; nunquam illos nisì privatim admonens, ídque cavens ut sinè ambitioso strepitu peccantes in viam revocaret. Cum de illis rationem Episcopo redderet, tacebat quidquid occultum & arcanum erat, ex eorum autem vitiis noxísque nihil aperiebat, nisì quod celare non posset, aut cui medicinam à se afferendam desperaret. Sic multos reduxit ad frugem, partim captos illecebrâ lenitatis, partim fractos robore sermonis & facundiâ.

Ejus solertia in reducendis ad frugẽ parochis deterioribus.

Ad eos sanandos, quorum erant vulnera graviora & pejoris ad populi offensionem famæ, præsertim ob libidinosa commercia, paulò plus artis industriæque afferebat. Norat hominum genus in scelere obfirmatum, projectæ impudentiæ, & ad humanas pariter divinásque rationes obsurdescere assuetum. Itaque cautiùs agebat cum illis & circumspectiùs. Objurgationes tantâ oris ac sermonis suavitate condiebat, ut iis offendi non possent. Ponebat

bat ob oculos privatim turpitudinem vitæ, quam ducebant; sanctitatem sacerdotalis statûs ac ministerii, quam indignissimè temerabant; gravitatem scandali quo populum subvertebant; multitudinem animarum quibus perniciem & exitium creabant sempiternum. Quæ omnia sic exponebat, ut patrem sentirent, non molestum objurgatorem, aut censorem. Deinde illos amantissimè amplexabatur; eorúmque deplorans ac miserans infirmitatem, obsecrabat denique ut salutari pœnitentiâ noxas anteactæ vitæ expiarent. Valuit hæc lenitas & mansuetudo ad complures parochos emendandos, qui postea, compositis ad officii leges moribus, tantum emolumenti populo attulerunt, quantum illi offensionis antehac & detrimenti obtulerant. Lib. II.

Hæc tamen lenitas aculeo suo, si res postularet, ac severitate, non carebat. Extiterunt in iis parochis nonnulli quorum nequitia pertinax cùm patientiam omnem ac mansuetudinem superaret, pergeréntque propudiosas libidines in catholicorum juxtà & hæreticorum oculis defigere, liberam pectoris Apostolici fortitudinem sunt experti. Consumptis incassum precibus, indulgentiâ, & minis, improbos justæ ipsorum Episcoporum severitati permisit; nè sibi commissas oves, quas depravare cœperant, omnino profligarent.

Collecti ab eo fructus in Diœcesi Viviensi.

Præsul egregius, qui DEI famulum consiliorum suorum conscium, adjutorem, & arbitrum esse voluerat, quíque diœcesis suæ regimen illius fidei & virtuti penitùs crediderat, summa cum voluptate ingentem fructum suæ visitationis aspexit, exterminata vitia, Christianæ pietatis exercitationes, quacumque se conferret, restitutas; in primis autem Calvini discipulos, relicto magistro, ad communionem & auctoritatem Ecclesiæ catervatim reversos. Hæc omnia palàm profitebatur tribuenda curis, vigilantiæ, & laboribus P. Joannis-Francisci Regis.

Omnino ejus virtus tot illustribus testata signis, caligantibus hæreticorum oculis novum lumen ingerebat: ejusdem verba ad persuadendum efficacissima voluntates ipsorum vel obstinatissimas concutiebant ac labefactabant; demum exempla victos penitùs deditósque dulci veritatis jugo submittebant. Persuadere sibi non poterant virum, tam insigni præditum sanctitate, aut velle quemquam fallere, aut ipsum falli posse in iis quæ ad religionis veritatem pertinerent. Comparabant ejus vitam non levibus, neque adumbratis, pœnitentiæ notis inustam, cum suorum ministrorum vita liberali, commoda, & ad profani seculi lautitias legésque ac-

Lib. II. commodata. Indè religionem, quam docebat, non posse veram non esse concludebant. Hæc tam sapienter considerata plurimos non difficilè perpulerunt ut erroris partes desererent. Unum modò exemplum proferam, ex quo multum gloriæ famulo Christi & auctoritatis accessit.

Primaria femina catholicæ religioni restituta.

Degebat Ucetiæ (quod Occitaniæ inferioris oppidum erat in ditione Comitis *de la Mothe*) primaria femina, non minùs splendore natalium, quàm pertinaci erroris defensione, clara. Hanc ut Ecclesiæ Comes restitueret nihil intentatum, nihil inexpertum reliquerat. Allocutus illam non semel, doctissimis theologis erudiendam debellandámque tradiderat. Nihil actum colloquiis & disputationibus, nisi ut magìs magísque occallesceret. Theologorum desperatio, plausus & favor Calvini gregalium, extulerant muliebres animos, & opinione ingenii atque eruditionis vehementer inflaverant. Cernebat summo cum dolore grex catholicus atque adeò Comes *de la Mothe*, mulieris exemplum contagione funesta serpere ad hæreticorum perniciem, quorum & confirmabat audaciam & numerum augebat. Quippe alios copiosa & eloquenti corroborabat oratione, alios insidiosa liberalitate retinebat: ipsa columen sectæ ingens ac decus, non solùm propter nobilitatem, opes, & doctrinam; sed etiam propter morum integritatem, in quibus nihil erat, quod reprehenderes.

Comes *de la Mothe* expertus non semel nihil resistere Patri Regis, quoties arma facundiæ cælestis exprομeret, hanc victoriam illi divinitus reservatam credidit, útque se ad pugnam accingeret hortatus est. Nulla fuit in viro sancto mora, id unum vestiganti quemadmodum animas DEO vinceret, domúmque mulieris rectà petit. Solam nactus, utendum putavit oblata opportunitate, ac, missis ambagibus, *Jam dudum*, inquit, *vocat te DEUS*, *urgétque ut illius tota sis. Quandiu vocanti & urgenti resistes? Nibilne tuâ, nihil DEI, refert si detrimentum animæ tuæ facias, pro qua DEUS in cruce mortuus est? An unquam tecum seriò reputâsti quid sit æternùm perire?*

Hac brevi oratione perculsa mentem aliam subitò induit; & illa pridem adversus divini verbi præcones contumeliosè ferox, dicentem perhumaniter audivit, ac viri sanctitatem, de qua multa jam audierat, quæque in modestissimo eminebat vultu venerans, *Egóne ut perire æternùm velim!* exclamat: *Probibeant, quæso, superi: nihil mihi prius, nihil antiquius, quàm servare animam meam.*

meam. *Ergo age*, ſubjecit Pater, *Catholicam Religionem amplectere, quam tui majores coluerunt, quam ſolam fundavit Chriſtus, in qua ſola ſaluti locus eſt.*

Mulier, ad eam diem invicta, mutatam ſe admirans, vixque ſe ipſam agnoſcens, *Vincis*, ait, *nec habeo quod opponam. Hactenus repugnavi, hactenus cunctis, qui me de reditu ad Eccleſiam catholicam interpellârunt, reſtiti; nunc arcano divini ſpiritûs impulſu trahor, & manus dare compellor. Nunc demum Catholicam profiteri fidem volo: doce me, præcipe, rege, ùt lubet. Nihil mortale ſapere mihi videor, quod quale ſit nec ipſa capio, nec ſatìs explicare poſſum.*

Voti compos Miſſionarius, poſt actas ingentes DEO bonorum omnium auctori gratias felicem prædam Epiſcopo gratulanti obtulit. Pleniùs edocta palàm ejuravit hæreſim ſpectantibus Catholicis, itémque Calviniſtis, quorum plurimi exemplum nobile ſunt ſecuti.

Nonnulli Epiſcopũ Vivarieſem ab eo alienare tentant.

Ex epiſtola Patris Petri *Verthamon*, tunc Rectoris collegii Anicienſis ſcripta Præpoſito Generali Societatis, intellexi datam per id tempus ſervo DEI, dum illi omnia maximè fluerent ad voluntatem, exercendæ patientiæ materiam ſanè difficilem. Orta eſt in eum ejuſmodi procella, quæ vel firmiſſimam virtutem dejicere potuiſſet. Ipſius operâ magna pars diœceſeos priſtinam exuerat faciem: id verò fieri non potuerat ſinè moleſtia multorum, qui ſe dolebant excitari è veterno vitiorum, & ingratiis probi eſſe cogebantur. Monebatur ſæpe Regis ab amicis de excitatis in ipſum odiis plurimorum; nihil ab eorum furore non eſſe metuendum; rectiùs ajebant facturum ſi paulùm ſibi temperaret. Hæc monita ſi parum apud Patrem Regis fuerunt efficacia, nimiùm tamen vera, nec inanes fuiſſe metus, ſtatim intellectum eſt.

Nonnulli parochi, quorum deſperaverat emendationem, & quos amovendos curaverat, initâ cum aliquot pariter improbis ſocietate, de illo viciſſim eliminando, remittendóque Anicium, & ejus præcipuè cum Epiſcopo gratia reſcindenda, conſpirârunt. Igitur delecti ex eo numero Præſulem adeunt, & in ſermonem de Chriſti famulo ingreſſi, deſcribunt illum ùt perturbatorem; non conſilio & ratione duci ſolitum, ſed æſtu pietatis inconſiderato abripi; ab eo familiarum pacem convèlli, carpi & objurgari promiſcuè illuſtriſſimos quoſque ſacerdotes & magiſtratus; ejus conciones non tam cohortationes ad colendam virtutem eſſe, quàm

Lib. II. petulantes satyras, quibus obvium quemque lacerabat. Coërcendum intrà cancellos effrenem hunc impetum, nec fieri quidquam opportunius posse, quàm ut amandaretur aliò, & superioribus suis redderetur.

Hæc ut hærerent altiùs in Præsulis animo defixa, submittebant identidem ex composito certos homines, qui ad eum ventitantes easdem querelas iterarent. Porrò tam atrociter, tam publicè ista jactabantur ut servum DEI latere non possent. Qui tam avidus opprobriorum, quàm Divinæ gloriæ sitiens, audiebat hæc solemni sua, oris & animi serenitate. Nihil ipsi præter expectationem accidebat; amicísque instantibus ut idoneas refutandæ maledicentiæ vias iniret, respondit præclarè secum agi, quòd nonnihil contumeliæ Christi causâ pateretur; permittere se DEO causæ suæ defensionem: neque adduci unquam potuit ut iis assentiretur.

Adduci non potest ut impositas sibi calumnias refellat.

Non eadem Episcopo tranquillitas adfuit. Cùm planè perspectâ fidelis operarii probitatem ac prudentiam haberet, nihil omisit initio ut concitatam adversus illum tempestatem sedaret: ubique hominem laudare, ubique defendere. Ad extremum, tot querelas usque usque audire non sustinens, & paci consulendum putans, agere statuit cum P. Petro *Verthamon* ut ejus revocandi causam aliquam honestam quæreret. Priusquam tamen eò deveniret, vocat illum privatim, & paulò asperiùs conqueritur, quòd commissa auctoritate abutatur, quòd sinè discrimine in personas invehatur, quas observari præcipuè oportebat; dolere se quòd eum remittere cogatur.

Objurgantem Episcopum audivit humilis DEI famulus placidissimè, neque ullum perturbati aut impotentis animi signum dedit. Mox gratias benignè monenti magnas agens, *Equidem fateor*, inquit, *multa me in DEUM & graviter peccâsse: nec dubito, quæ mea imbecillitas & ignorantia est, quin multa mihi exciderint, quæ ab hominibus meritò reprehenderentur; quin interdum prudentiæ parum memor fuerim: ceterùm DEUM mentis meæ conscium & judicem testor, nihil mihi, præter ipsius gloriam propositum fuisse.*

Episcopus ejus humilitate mirum in modū delectatur.

Præsul vehementer admiratus humilitatem servi DEI, qui neque ad accusandos inimicos, neque ad se purgandum excusandúmque vèrbum ullum fecisset, abjicere consilium ejus remittendi cœperat; cùm superveniens Comes *de la Mothe*, non parum adjuvit ut mentem hanc omnino deponeret. Certior de amici periculo

lo factus, ad Episcopum accurrit: compertum sibi mysterium iniquitatis docet. Ejusmodi turbarum caput & machinatorum esse parochum nequam & dissolutum, qui devinctos sibi nefario fœdere aliquot similium criminum reos in virum sanctum armaverit. Non aliam ob causam Patrem Regis perditorum istorum odiis premi, quàm quòd illorum nequitiam apertiùs exagitaret. Concionantem, inquiebat, audivi non semel: sanè invehitur sanctâ quadam libertate in publica flagitia, sed non minori prudentiâ & moderatione. Lib. II.

Non solus Comes patrocinium amici sedulò suscepit. Ejus sanctimoniæ præclara existimatio excitavit proborum studia, qui non minùs indignè adversariorum audaciam ferebant, quàm famuli DEI patientiâ lætabantur. Interim Simianus, Episcopi Vicarius Generalis, reversus est ex Urbe Vivario, quò erat profectus ad negotia quædam diœceseos componenda. Ejus absentiam isti captaverant, ùt consiliis suis opportunam. Nimirum exploratam habebant viri solertiam, cum pari pietate, doctrina, & nobilitate conjunctam; neque ignorabant quo apud ipsum numero esset sanctus Missionarius. *A plerisque viris probis defenditur: ac præsertim ab Episcopi Vicario.*

Ut Vicarium præsul vidit, nihil cunctatus, suam ipsi de Patre Regis solicitudinem memorat; delatas ad se de illo querelas, probra, & criminationes; tum Vicarii, de tota re sententiam rogat. Respondit Simianus consideratum à se P. Joannem-Franciscum diligenter fuisse toto tempore lustrationis, neque ullum unquam sibi visum fuisse sanctiorem, & manifesto Numine pleniorem: censorem illum quidem & castigatorem vitiorum non timidum, at moderatum & prudentem; mirùm non esse si de viri probi exitio improbi conjuraverint; contemnendos eorum clamores, tumultúsque negligendos; neminem ignorare quo prorumpere soleat hominum perversorum, ac præsertim impudicorum, furor adversùs eos, qui fœdis eorum libidinibus injicere frena tentant.

Adjecit Simianus, insigni fructu, quem omnes è Missionibus præstantis operarii colligebant, satis defendi ac laudari, ardens illud studium Divinæ gloriæ, & salutis animarum, quo longiùs efferri nonnullis videbatur. Cernis, inquit, diœcesim tuam dissimilem priori vultum induisse, ultróque conficeris gloriam hujus præclaræ mutationis deberi pæne totam immensis laboribus istius excellentis Missionarii. Ego quidem ità censeo non posse, sinè

M per-

Lib. II. perſpicuo divini honoris & religionis detrimento, cauſam hominis deſeri, qui non aliam ob rem vexatur, quàm quia DEI cauſam apoſtolica fortitudine propugnavit.

Publicè laudatur ab Epiſcopo.

Habuit eam vim oratio Simiani, quam par erat. Epiſcopus omni ſiniſtra opinione ac ſuſpicione liberatus, arceſſit continuò P. Joannem Franciſcum, eúmque omni exiſtimationis & benevolentiæ ſignificatione palàm proſecutus, hortatur ut ſolitâ prudentiâ bellum vitiis inferre pergat. Sic viri ſancti patientia & humilitas inimicos exarmârunt; obmutuit calumnia, & victrix innocentia de improbitate triumphavit.

Reductâ per hunc modum malaciâ, Regis majore animo, majore ſucceſſu, in opus incumbebat, cùm Epiſcopus, exeunte Sextili anni 1634. coactus eſt ſuæ diœceſis viſitationem interrumpere, ut cœtui ex omni Provincia collecto, deinde comitiis generalibus Cleri Gallicani, tanquam à Provincia delectus, intereſſet, habendis ineunte anno 1635. Sangermani in Layâ. Præſul Miſſionarium remittens, Provinciali gratias egit, quòd hominem ſibi donâſſet *potentem opere & ſermone.* In iis litteris multa ſingillatim recenſebat, quibus ſignificabat, quàm gratus ſibi P. Joannis Franciſci labor accidiſſet. Laudabat ejus prudentiam, ſtudium indefeſſum ſalutis animarum, invictum ærumnis animum, caritatem nullis finibus circumſcriptam, integritatem vitæ labis omnis expertem. Addebat utilitates pæne incredibiles, quas animis attulerat. *In uno parum mihi ſatisfecit*, inquiebat extrema in epiſtola, *quòd valetudinis fuerit prodigus, quódque ſæpe à me admonitus ea de cauſa, parum ſe docilem præbuerit. Hoc perpetuum inter nos diſſidium extitit: cùm ego conqueri & increpare non ceſſarem quòd ultra legem ac modum opus tenderet. Vobis illum reddo: veſtrum eſt pro ea, quâ valetis in eum auctoritate, perficere ut valetudini tam pretioſæ diligentiùs parcat; ac providere nè qui ceteris tam ſuavis & amicus eſt, ſibi ſit ipſe, tam aſper & inimicus.* Hujus epiſtolæ, quam hìc ad verbum retuli, exemplum ad Præpoſitum Generalem Provincialis miſit.

Regis, Præſule ſalutato, petiit Anicium, ùt juſſus erat. Vix eò pervenerat cùm collegii Rector ingenti beneficio affectum ſe prædicans, quòd operarium adeò præſtantem accepiſſet, his verbis ad Præpoſitum Generalem litteras dedit quinto Idus Octobris 1634. *Conſentiunt omnes mirificam eſſe P. Regis ad Miſſiones obeundas indolem, quam acuit incenditque ardentiſſimum Divinæ*

glo-

gloriæ studium. Ea dos & virtus cùm sæpe aliàs, tum verò enituit apertissimè cùm Episcopum in diœcesis lustratione comitatus est. Infinitus sim si velim enumerare quàm multos à vitio ad bonam frugem traduxerit, non minùs exemplo sanctioris vitæ, quàm cœlesti concionum efficaciâ. Itaque modò illum omnes ùt Vivariensium Apostolum intuentur. Ego verò affirmare verè possum sanctum esse Missionarium, ac divinæ gloriæ salutisque animarum unicè sitientem. Lib. II.

Paucis pòst diebus quàm Anicium accesserat, audivit initium datum esse anno superiori 1633. laboriosis Canadæ apud Hurones Missionibus, à P. Paulo *le Jeune*, qui per obseptum sexcentis difficultatibus ac salebris iter, patentem Euangelii præconibus campum illic aperuerat. Hoc in votis P. Joannes-Franciscus semper habuerat ut oceanum transgressus barbaris nationibus Christum inferret: tum autem ardebat desiderio non solùm multa pro Christo patiendi, sed etiam profundendi ejus causâ sanguinis. Narrabantur Hurones & Hiroquæi esse præ ceteris barbari, qui præter externam speciem hominis haberent nihil: tetrum & immane genus per silvas, instar ferarum vagari assuetum, sinè ullo humanitatis sensu, adeò ut mactatos etiam homines, feralibus epulis apponerent.

Canadensem Missionem à Præposito Generali postulat an. 1634.

Hæc satis supérque sancto Missionario fuerunt ut in Canadam evolare percuperet. Contrà suadebant amici & hortabantur ut operam utiliorem inter Vivarienses poneret: ibi reperturum, ùt in Canadensium nemoribus, animas ad DEUM perducendas; habiturum pro barbaris, quibus prima fidei traderet elementa, hæreticos ad avitam fidem revocandos. Objiciebantur pericula quæ nascentem Missionem circumstabant: iis accendebatur magìs, & in sententia confirmabatur. *Non sum nescius*, ajebat, *adire me periculum diræ necis: at in lucri & felicitatis parte pono, quòd imitaturus sim plurimos è nostris fratribus, qui pro Christo in Japonia & Indiis præclara morte perfuncti sunt. Possem equidem inter Vivarienses rem gerere minore cum periculo, cum fructu etiam, si vultis, majori; at non deerunt hìc operarii, quibus nova Francia est destituta. Quod si caritas urget nos, ut aliquis pro miseræ ac derelictæ gentis salute se devoveat, quænam victima potiùs immoletur quàm hic homuncio nauci & nihili? Illuc me DEUS vocat, vocantem sequar.*

Ubi stetit hæc sententia, Canadensem Missionem à P. Mutio

Lib. II. Vitellescho, Præposito Generali Societatis sexto, postulavit. Ejus litteras Anicii datas 18. Cal. Januar. anni 1634. latinis totidem, ùt erant ab eo scriptæ, verbis exhibeo. *Admodum Reverende Pater. Tanto teneor desiderio Missionis Regni Canadensis, ut verear nè vocationis neglectæ reus existam, si quos in hac parte experior in me motus Vestræ celem Paternitati. Hos itaque lubens aperio, petóque quibus possum precibus, ut his meis annuat votis; & certè tanta est mihi in ejus clementia spes posita, ut vix dubitem quin sim, quod exposco, obtenturus. Novit, nì fallor, vestra Paternitas me esse robusto corpore; utinam æquè robusta foret virtus! sed virtus in infirmitate perficitur. Roborabitur mea, ùt spero, DEO duce, in infirmitatibus, quæ non possunt non esse frequentes in medio illius nationis pravæ. Admodum Rever. P. Vestræ Filius ac servus in Christo obsequentissimus Joannes Franciscus Regis. Anicii 15. Decemb. an. 1634.* Præpositus Generalis cui majorem in modum curæ & cordi erat progressus peregrinarum Missionum, ac præsertim istius Canadensis nuper institutæ, lætus intellexit quemadmodum ad hanc sacram expeditionem comparatus esset P. Joannes Franciscus, eíque tertio Kalendas Februarias 1635. ità rescripsit. *Placent mihi divinæ gloriæ, servandarúmque animarum nobiles impetus, & habeo illarum authori gratias ingentes. Ducenda erit illorum ratio, cùm maturuerint. Eò sunt interim fovendi precibus, & virtutum usu roborandi, ad difficultates, non utì nunc procul, sed cominus, & conserta manu, expugnandas. Addo, quòd afflatus ejusmodi affusi cælitus, hoc debent teneri, & coli cariùs, quòd Christi sanguinis hos esse pretia non dubiè constat. Quod ego facturam uberiùs Reverentiam Vestram sperans, quam possit à me commendari, ejus me potiùs sanctis sacrificiis commendo, Romæ 30. Januarii, 1635.*

Oppida Comitis de la Mothe variis Missionibus excolit.

His litteris erectus in spem consequendi quod votis omnibus ambiebat, jámque velut neci devotus, & Canadensibus addictus, statuit interim Anicii consistere, ibíque ponere tirocinium quoddam illius ærumnosæ ac laboriosæ vitæ, quam inter Iroquæos, & Hurones, brevì se acturum confidebat. Sed DEUS, qui neque fidelem servum dedere barbaris, neque in una tantùm urbe continere decreverat, effecit ut à Comite *de la Mothe* invitaretur ad obeundam Missionem in oppidis suæ ditionis, & ad extirpandam cum vitiis hæresim, quo duplici malo graviter laborabant. Laudavit Comitis consilium Episcopus Vivariensis, cujus men-

mentem Comes exquisiverat : itémque P. *la Casé* Provinciæ Tolosanæ præpositus, à quo jussus est statim Regis properare Cheylardum, ubi Comes, istius oppidi dominus, tunc degebat. Nec distulit vir obediens eò se conferre, quò jubebatur : Vivariensem agrum aperiri sibi denuo gaudens, donec aditus in Canadam pateret. Lib. II.

Urbem Cheylardum à vitiis & erroribus purgat, anno 1635 ineunte.

Cheylardum Anicio profectus est ineunte anno 1635. Equum à Comite submissum accepit ille quidem, ut ne officium & gratiam amici aspernari videretur ; at statim desiliens, famulum à quo fuerat adductus, in eo sedere jussit. Incolæ Cheylardi ferè omnes Calvini erroribus inquinati erant: exiguus catholicorum numerus externa quædam & vacua religionis ornamenta retinebat ; ità ut, quemadmodum idonei testes affirmant, oppidum totum aliud nihil esset, quàm tetra farrago, ex hæreticis, & nihilo melioribus catholicis, conflata ; inter quos hæc una videbatur, esse contentio, utri alteris pejores essent. Furta, cædes, homicidia, quidquid est turpe dictu, quidquid factu obscœnum, scelera pæne omnia, in consuetudinem venerant. Hæc monstra beneficio cælestis gratiæ, & operâ P. Joannis Francisci, brevì fuêre propulsata. Paucis diebus elapsis, alia civitas, alii mores fuerunt. Quàm avidè audiebatur sanctus concionator, tam obstabant nè audiri facilè posset suspiria, gemitus, & planctus audientium. Sceleratissimi quique verum de peccatis dolorem palàm uberibus lacrymis testabantur. Ipsimet hæretici vim dicentis non sustinebant, & plurimi cum errore pertinaciam abjicerunt. Vel ipsa opinio, quæ omnium animos pervaserat, sanctum esse qui loqueretur, qui moneret, qui hortaretur, stimuli & argumenti, ad detestanda vitia satìs erat. Res in hoc oppido tam bene, tam præter opinionem gesta, miraculi simillima visa est. Comes *de la Mothe* lætitiâ simul & admiratione ingenti affectus, cùm videret populum, quo vix in toto Vivariensi tractu nequior habebatur, adeò immutatum, ægre oculis ipse suis credebat : neque clariùs perspectum unquam est quid Apostolica virtus possit.

Non hujus tantùm oppidi finibus curas suas Regis continuit. Ut est regio tota frequens pagis & vicis, huc atque illuc inter nemora montésque sparsis ; omnes perlustravit labore incredibili, ob hiemis inclementiam, & vim frigoris per hunc annum solito graviorem. Cerneres virum admirabilem, spretâ durissimæ tempestatis asperitate, per stagnantes exundantibus aquis vias, festinare;

Lib. II. torrentes eluviésque superare; silvas & montes nivibus coopertos permeare; ad præruptas cautes, manifesto cum periculo in altas voragines, si vestigium falleret prolabendi, perreptare, ut devium aliquod mapale attingeret, ac familiam derelictam erudiret. Sæpe inter ignotos calles rectâ deerrabat viâ; nec semel fuit coactus inter silvas pernoctare. Vulgò sub vesperam Cheylardum se referebat, adeò exhaustis viribus, ut consistere non posset: postridie repetebat laborem, cessationis & quietis immemor. Altissimos regionis montes aliquando ingressum nix occupavit tam densa, ut itinera omnia obstrueret, neque potestas daretur ulla progrediendi ulteriùs, aut regrediendi. Hæsit tres hebdomadas constrictus, & omnibus rebus destitutus, in hac nivali solitudine, humi cubans, mucidi panis frusto victitans, apud montanum miserabilis tugurii hospitem. Quid ærumnarum ibi tot dies pertulerit faciliùs colligi conjecturâ, quàm explicari verbis, potest. Verùm DEUS servos suos arcanis consolationibus sustentare novit, quibus perfusi, ærumnas suas non tantùm obliviscuntur, sed etiam in loco deliciarum habent. Post religionem in urbe Cheylardo viciníśque locis pristino splendori restitutam, rationem iniit cum Comite *de la Mothe*, quemadmodum recens ille nitor nunquam obsolesceret; mox Lachaum versùs iter convertit. Oppidum erat omnino Catholicum, in ditione Comitis, cujus vigilantiâ effectum fuerat ut Hæresis eò aspirare ausa non esset. Mores, etsi multò, quàm Cheylardi, meliores; Labis tamen aliquid è pravitate vicinorum duxerant. Simul atque auditum fuit adesse ministrum Euangelicum, detractis impietati atque errori spoliis onustum, concursus ingens, etiam hæreticorum, undique Lachaum est factus. Ipse continuò suggestum ascendens verba fecit ad populum plangentem & pio tumultu omnia miscentem. Aucta in dies confluentium turba contineri templo non potuit.

Obstructis niviũ copiâ itineribus, cogitur tres totas hebdomadas in loco deserto consistere.

Mirum ac dulce spectaculum præbebant integri pagi, relictis ædibus, domesticíśque negotiis, concurrentes Lachaum, emensis decem, duodecímve passuum millibus, per medias nives & sævientem aspero gelu hiemem, ut DEI servum concionantem audirent, ut ab eo peccata confitentes audirentur. Sed multò erat admirabilius illum ipsum intueri, cùm licèt labore fractus, jejuniis voluntariíśque pœnis debilitatus, turbam agrestem nihilominus alacer & promptus erudiret, eíque sacramenta ministraret, tantâ constantiâ, ut multa jam nocte cogendus esset paulùm cessare, ut cibo reficere-

Missio Lachai: & in finitimis locis.

retur. Interdum contingebat ut, corporis viribus mentis ardorem adæquare non valentibus, è suggestu descendens animo linqueretur: víxque receperat animum, cùm subitò se ad excipiendas confessiones referebat. Lib. II.

Exeuntem è templo, post exantlatas multo sudore functiones matutinas, invasit agrestium multitudo, è longinquo veniens, & quidam ex illo agmine, *Caritatem tuam per DEUM obsecramus, mi Pater,* ait, *ut solitam nobis opem impertias. Herì nos in viam dedimus, & nocte tota, itineribus impeditissimis, duodecim leucas confecimus, ut te docentem audiremus: siccine tantum laboris, tantum viæ frustrà susceptum à nobis esse patieris?* Non tulit orantes vir DEI, & illacrymans, *Adeste,* inquit, *filioli, vos in sinu, vos in oculis meis fero.* Nec plura. Quasi nihil eo die laboris exhausisset, rursùm concionatur, audit confitentes, monitis salutaribus singulos instruit, & ad vitam sanctè degendam accensos, ovantésque, dimittit.

Quid sentiret comes de laMothe *de illius virtute ac Missionibus.*

Quæ fuerit Apostolici viri virtus, quàm copiosa messis ab eo collecta in postremis istis Missionibus, cognosci certiùs non potest, quàm è sermone quem Comes *de la Mothe* habuit cum Comite *de Fay de la Tour Monbourg*, præcipuæ inter Velaunos dynastas auctoritatis & famæ. Is quæ audierat à Comite *de la Mothe* pro testimonio retulit, extántque in publicis actis, cùm ageretur, de referendo in Sanctorum numerum Beato Regis, conscriptis. *Nunquam vidi, inquiebat illi Comes de la Mothe, neque sanctiorem Missionarium Patre Regis, neque fructuosiores Missiones illis, quas obibat. Ad ipsum quod attinet, exploravi hominem & inspexi per octo menses, quibus populum meum erudivit. Nullum in eo vestigium animadverti earum cupiditatum, quibus vulgò mortales laborant. Hominem videbatur exuisse, ut DEUM indueret. Una eminebat in eo cupiditas, unum studium, omnes ad Numinis cognitionem & amorem adducendi.*

Non contentus restituere pietatem & alere in eo loco, qui Missionis quodammodo centrum erat, pagos omnes & casas circumfusas perlustrabat. Non densæ nives, non durata gelu camporum vastitas, non immanitas frigoris, aut ventorum injuria, moram illi & obicem unquam injecerunt, parum solicitus sudum esset cælum, an perturbatum & procellosum; peragrabat mapalia, docens, ministrans sacramenta, consolans egenos & sublevans, incumbens

Lib. II. *operi sinè intermissione ; cibi, somni, quietis, oblitus. Mirari satìs non poteram quo pacto tantis laboribus par esse posset.*

Corpus, ceteroquin fractum ac debilitatum, diris excruciabat modis ; quotidiano, quod Numini de se offerebat in permolestis itineribus sacrificio addens varias carnis afflictationes, quibus merito quivis obstupescat. Aliquantum panis & lactis, herbæ, calidâ, sinè ullo condimento, incoctæ, mensam illi struebant ; lectum sternebant tabulæ tres, aut pavimentum ; somni spatium definiebant duæ, trésve, ad summum horæ : nulla nox sinè acri verberatione, nullus dies sinè cilicio, quod nunquam deponebat, ùt ipsemet arcanò comperi. Monebam, at incassum, hac austeritate immodica cum tot laboriosis ministeriis conjuncta, ipsius vires absumi, ac denique omnino profligatum iri.

Hæc in oculis populi posita cùm essent, omnes illum scilicet ùt sanctum venerari ; ejus voces, ùt oracula totidem, excipere, morem illi ad nutum gerere. Itaque in meis prædiis quidquid designavit, perfecit, eâ felicitate & fructu, quem complecti oratio nulla potest. Præter multos hæresi & sceleribus ereptos, pro certo habeo emendatam sacerdotum vitam complurium, ab eorum sancta professione abhorrentem : nec pauciores viros religiosos ad ipsorum instituti perfectionem moribus & vita profitendam adductos ; nobilitatem regionis universam in illo parentem & rerum suarum arbitrum habuisse ; mores demum ubique ejus ductu, exemplis, auctoritate, reformatos & compositos. Quare Missionem ab illo meis in latifundiis susceptam, inter præcipua, quæ divinitus accepi, beneficia semper numeravi.

Addi nihil potest huic testimonio Comitis *de la Mothe*, cujus gravitas, fides, & probitas apud Vivarienses notissimæ sunt. Totum hoc Missionum genus, quorum tam illustre specimen in P. Joanne Francisco perspexerat, tanti faciebat, ut Missionem perpetuam in urbe Cheylardo fundaverit, assignata Societati summâ sexdecim millium Francorum argenteorum, quorum fructibus Missionarii duo alerentur, & concessa ipsis ad habitandum amplâ, quam in urbe possidebat, domo.

Missio Privatii. Peracta Lachai Missione, aliam aggressus est, Privatii. Hanc urbem ante sex annos Ludovicus XIII. in suam potestatem restituerat : sed cum suo se Principi redderet, ad Ecclesiæ auctoritatem referre se pertinaciter adhuc recusaverat. Missionarius minimè lautus, & Christiana simplicitate gaudens, civibus initio parum pla-

placuit. Occurſum, congreſsúmque fugiebant hominis incompti & inculti: adeò ut nihil ſibi relictum viderit, præter ſolitudinem & preces. Itaque illas adhibere impenſiùs, exemplóque patientiæ, humilitatis, & caritatis devincire homines ſibi Deóque ſtatuit. Lib. II.

Nec eum fefellit opinio. Ad ſublevandos pauperes, quò illum inſita & virtutis & naturæ indoles ferebat, ſtatim aggreſſus, eorum inopiam prolixis eleemoſynis, nullo Catholicorum aut hæreticorum diſcrimine ſuſtentavit, ſuggerente affatim nummos Comite *de la Mothe*, cujus liberalitas famulo DEI nunquam defuit. Ut autem animabus ſimul & corporibus prodeſſet, eleemoſynæ piam aliquam cohortationem & ſalubre documentum ſemper addebat. Curam pariter adhibuit ad viſendos ægrotos, tum in publico valetudinario, tum in privatis civium ædibus. Sternebat illorum lectos, ſudorem abſtergebat, obligabat vulnera, lintea lavabat, ad infima quæque miniſteria deſcendebat: ídque alacritate tanta ut eximiæ caritatis blandiſſima ſuavitas intuentes mirè caperet. Hæc opera Chriſtianæ miſericordiæ commendabat auſteritas vitæ, cùm victitaret pane oſtiatim corrogato; modeſtia inceſſus habitúſque, cùm prodiret in publicum oculis in ſolum dejectis, animo intrà ſe collecto, & in præſentem DEUM intento.

Hæc ſpecies tam religioſa, tam ſancta, meliùs omni concione peroravit. Ac primùm hæreticos percuſſit, quibus exempla ejuſmodi parum erant familiaria. Mutatos erga ſe populi animos Regis animadvertens, ſolitas Miſſionis exercitationes auſpicatus eſt ab inſtituendis pueris, futurum ſperans, ut quæ pueros doceret, ea permanarent ad ipſorum parentes. Elementa doctrinæ catholicæ puerili turbæ tradita, & pleriſque civibus ignota vel oblita, eos audiendi cupiditate inflammârunt. Qui cùm diſcederent non doctiores modò, ſed meliores, quàm venerant, alios ad audiendum ſimiliter adduxerunt. Hoc innocenti artificio aſſuefecit ſe populus illius voci auſcultandæ, cujus nè vultum quidem antea ſuſtinebat.

Excitatus Regis hoc primo ſucceſſu putavit poſſe ſe tutò in concionem aſcendere. Aſcendit. Audita eſt concio, & laudata non tantùm plauſu aſſenſúque totius populi, ſed etiam fructu vix credibili. Cùm autem hæreticorum concurſus ad audiendum in dies augeretur, peculiares illis erudiendis conciones addixit, quibus permoti non pauci nuncium priſtinis erroribus remiſerunt. Haud minùs utiliter in reformandis Catholicorum moribus elaboravit. Quid multa? ejus & Comitis *de la Mothe* expectationem hæc miſſio longiſſimè ſuperavit.

Lib. II.

Rogatus ab Epiſcopo Valentino, Miſſionem ad Fanum S. Agripani ſuſcipit.

Quantò plus admirationis habuit pertinacis oppidi non expectata, & ferè deſperata, mutatio; tantò cupidiùs expetita eſt à parochis, & à populis opera præpotentis Miſſionarii. Non dum Privatii Miſſionem clauſerat, cùm venêre ad illum oratores è variis locis rogantes ut ad ſe tranſiret. Fanum ſancti Agripani, vulgò Santaggrevium, oppidulum refertum hæreticis, ubi ſe felicem ob patientiæ materiam fore prævidebat, ceteris locis prætulit, rogatu Epiſcopi Valentini, Caroli Jacobi *Gelas de Lebtron.* Ille Cleri Gallicani Comitiis interfuerat cum Epiſcopo Vivarienſi, ex cóque cognoverat quàm ſolerter & fructuosè munia Euangelica exercuiſſet P. Joan. Franciſcus in luſtranda ipſius diœceſi. Eaſdem igitur utilitates ſuis popularibus impertire geſtiens Valentinus Præſul, famulum DEI rogavit, ut agrum ſancti Agripani, vitiorum & errorum lolio ſilveſcentem, repurgaret. Hunc enim tractum hæreſis ità deformaverat, ut religionis catholicæ vix quidquam ſupereſſet, præter nomen.

Cùm tamen hæreret Patri Regis penitùs in medullis Miſſio Canadica, priuſquam Fanum S Agripani peteret, contulit ſe Albenacum, ut Patri Labatuto, collegii Rectori, ſuum de inferendo barbaris Euangelio deſiderium exponeret, ejuſque ſententiam pernoſceret. Reſpondit Rector luculentam meſſem apud Vivarienſes in promptu eſſe; hanc illi deſtinatam à Superis videri; tot Miſſiones feliciſſimè confectas haud dubium Divinæ vocationis argumentum eſſe. Neque ager iſte, inquit, crebris crucibus conſitus non eſt, ut tute ipſe expertus es non ſemel.

Miſſionem Canadenſem alteris litteris ad Præpoſitū Generalē datis flagitat.

Quamvìs hæc verè dici ſentiret, nihilominus tenere ſe non potuit quin iterum ad Præpoſitum Generalem Societatis ſcriberet undecimo Kalendas Decembres 1635. in hæc ferè verba.

Reverende Admodum Pater. Reſcripſerat Veſtra Paternitas mihi, quæ eſt ejus humanitas ſingularis, tum ſe habituram rationem deſiderii mei circa Canadenſem Miſſionem, cùm primùm id maturum foret. Ecce jam integer decurrit annus ab eo tempore, quo mihi divinitus, ut opinor, injectum eſt. Crevit interim, meis non ſemel rigatum lacrymis, & igne Sancti Spiritûs magìs in dies incaleſcit; adeò ut jam permaturuiſſe videatur. Faveat igitur, oro atque obteſtor, votis meis veſtra benignitas. Permulti conantur me deterrere ab iſta miſſione, quam nimis periculoſam ac difficilem affirmant: credo, quia me parum illâ dignum, parum idoneum, arbitrantur. Quod ut ita eſſe confitear, nihilominus voti

me

me compotem fore non despero, præsertim cùm magnam mihi suâ epistolâ, Vestra Paternitas jubeat spem habere brevì ipsius consequendæ. Det igitur, quod jubet, supplex per illud, quo flagrat divinæ gloriæ studium, precor. Ceterùm quidquid jusserit, æqui boni consulam, & ingenti animo, divinâ ope fretus, exequar. Vestræ Paternitatis servus in Christo humillimus, & filius indignus, Joannes Franc. Regis, Albenaci 21. Novembris 1635. Lib. II.

His litteris ad Præpositum Generalem suum datis, confestim ad Fanum S. Agripani est profectus. Erat hibernum iter, tempestate perfrigidâ, per congestas nives, in quas sæpe demergebatur genuum tenus; per angustos tramites, præcipitiis vallatos, per quos pedibus manibúsque reptabat; per duratam frigore glaciem, quâ perruptâ viam difficilem aperiebat. Per tot pericula, per tot objectas neces, Fanum S. Agripani denique attigit. Continuò lolium, & seges infelix apparuit. Ignota vulgò religionis prima capita tetram mentibus & moribus caliginem obduxerant; Catholici cum hæreticis permixti errores illorum hauserant & vitia.

Ad Fanū S. Agripani profectus itinere difficillimo, inde zizania vitiorum evellit 1636.

Ubi primùm Euangelicus messor falcem Apostolicam expedivit, evulsa zizania jacuerunt; & patrisfamilias reparatum novale refloruit. Inter ista zizania vim præcipuam ad obterendum triticum habuerat ebrietas. Hinc rixæ, cladésque familiarum, matrimoniorum dissidia, maledicæ impiæque voces, impudicitia, profanus dierum festorum contemptus, quos in popinis & crapula incolæ consumebant. Hanc pestem succidere potissimùm Regis laboravit, neque incœpto destitit, quoad illam penitùs extirpâsset. Statim atque auditus fuit, æternum cauponis & ganeis vale conclamatum est: fugerunt vitia, quæ primarium illud comitabantur; non tamen citò, nec sinè difficili certamine, ùt ex uno, quod attexam, exemplo constabit.

Rescivit collectos in taberna diversoria cum hæreticis catholicos die Dominica pergræcari, útque assolet in vino, voces impias effutire, & alia quæ suadet ebrietas designare. Dolore scilicet exarsit, & potores sceleratos primùm non acerbè adortus, quàm graviter peccarent ostendit. Dicentem impius ganeo, inflictâ in vultum palmâ percussit. Cui vir sanctus, immoto atque irretorto vultu, genam alteram porrigens *Habeo gratiam*, inquit *mi frater, graviora mereor.* Laudârunt qui aderant exemplum insigne patientiæ: ipsi comessatores indignum gregalis sui facinus detestati, veniam supplices rogaverunt, & relictis exitialibus mensis,

Heroica patientia.

Lib. II. pudore ac verecundiâ cooperti recesserunt; dum sanctus fortísque monitor, ebrietate domitâ lætus, & auctus merito contumeliæ toleratæ, triumphabat. Illi demum concionatores persuadent, qui talibus exemplis loquuntur.

Egressus Fano S. Agripani procurrit in circumjecta latè loca; inculta magnam partem & agrestia; graves ærumnas fructu non pœnitendo bene pensatas existimans. Dolentibus ejus vicem inter tot asperrimæ regionis incommoda, respondebat animam vel unam tanti esse; hanc sceptris omnibus coronísque præferendam; nec se dubitaturum unius causâ vitam millies profundere. Per tres, non ampliùs, menses, initio anni 1636. quindecim aut viginti, quà majores pagos, quà vicos, peragravit, Sanbartholomæum, Planum, Batiam, Nozieras, Zaignes. &c. Evasit usque Rochepaliam, quatuor à Fano S. Agripani leucis distantem, & ubique præclara pietatis restitutæ, aut ornatæ, monumenta collocavit.

Missio in oppido S. Andreæ de Fangas, & finitima regione.

His Missionibus peractis, longiùs exspatiatus est in diœcesim Valentinam. Ità quippe jusserat Episcopus, à quo constitutum fuerat oppidum Sancti Andreæ de Fangas, quasi centrum Missionum, quas esset inchoaturus. Iter capessenti obtulit se rusticorum caterva numerosa, longam, ut apud eum peccata deponeret, viam emensa, & euntem retinendi avida. Sed cùm ad Fanum S. Andreæ Missionem indixisset in diem certam, profectio differri non potuit. Quid agerent tantâ expectatione depulsi? Sequuntur proficiscentem, jejuni tota die & defatigati. Missioni simillimum iter fuit. Consistebat identidem, ut audiret confitentes, ut pios affectus eliceret ac proponeret, nunc doloris de peccatis, nunc amoris DEI. Circumjecti montes sacris hymnis, & festis cantibus personabant, Apostolum Sanctum adventare prædicantium. Quò longius procedebat, eò frequentior apparebat comitatus, pagorum qui occurrebant in itinere, incolis prodeuntibus, & ad priorem turmam se aggregantibus. P. Gabriel *Clement*, collegii Turnonensis Procurator, cùm per istos montes iter faceret, cernerétque procul hominum multitudinem propè infinitam, eâdem viâ pergere; quæsivit quid hoc esset, quídve sibi vellent confusæ, quas audiebat, voces: & aliquis, *Transeuntem*, inquit, *Sanctum multi pagi affectantur.* Idem Procurator aliquantum progressus, vidit in aditu majoris pagi effundi portis contento cursu præcipitem turbam. Rursùm interrogavit quónam isti properarent. Responsponsum est: illos obviàm ire Sancto adventanti. Denique Fanum

num S. Andreæ ingressus, & ante sacram ædem populum innumerabilem ex ipso pago, & aliunde collectum conglobatúmque admirans, rogavit ex illis quosdam, quid rerum hìc agerent: *Expectamus*, inquiunt *sanctum, & indictam ab eo Missionem.* Talem DEI famulum esse arbitrabantur, talem appellabant. Lib. II.

Hac pia & triumphali pompâ templum subiit, quò jam convenerant plerique incolæ Sancti Juliani, S. Boniti, Vocantiæ, Villi, Vanosci, Vandenai, & aliorum locorum complurium. Nec deerant viri nobiles bene multi, quos fama pariter exciverat.

Hanc esse veram statim è prima concione intellexerunt, quâ mirificè sunt affecti, adeóque permoti ut plurimi descendentem è suggesto consequerentur ad peccata deponenda: nec minùs eos movit patientia concionatoris, qui licèt dicendo fessus, ipsorum confessiones per multas horas excepit. Respondit exitus Missionis principiis tam felicibus; omniúmque voluntates in potestate sua sic habuit, ut eas quocumque libuit, inclinaverit.

Cùm legem divinam populo exponeret (ità narrat Comes *de la Mothe*, hujus Missionis testis & præco minimè suspectus) *inerat in sermone nativus quidam & simplex nitor, qui vel tardissimorum mentes illuminabat; vis & robur, quo vel partinacissimi frangebantur; sapor dulcissimus, qui vel maximè fastidiosos inescabat, iisque gustum virtutis & appetentiam excitabat. Magnum sermoni pondus addebat vita sanctior; eloquenti morum silentio, nutu ipso aspectúque loquebatur & persuadebat. Illas verò faces, illa fulmina, quæ torquebat è superiore loco non aliunde ducebat, quàm è sacra fornace orationis, cui sic erat deditus, ut in solicitis ac tumultuosis Missionum occupationibus, præsentem DEUM semper circumferens, ab ejus suavissimo complexu nunquam divelleretur.* Magnam vulgò noctis partem pervigilabat orans. Quo loco prætereundum non est, quod illi contigit apud parochum, cujus domi habitabat. Puer septennis, parochi nepos, nocte intempesta surgens, cùm è scalis desiliret, graviter ab alto humi prolapsus est. Ad strepitum cadentis, & notas pueri voces, accurrit cum familia parochus exanimis metu. Sed hunc timere DEI famulus vetuit, ab eo inter eundum deprehensus orans in angulo, & in genua pronus. *Metum omitte*, inquit Regis, *nepos tibi salvus est, & è lapsu incolumis: gratias age DEO, cujus beneficio periculum effugit.* Non dubitavit parochus quin illud etiam beneficium deberet servo DEI, & quin idem suas preces auditas fuisse divinitus cognovisset.

In sacrorum ministeriorũ pio tumultu, præsente DEO & arctissimè conjuncto, semper fruitur.

P Reli-

Lib. II. Reliquam ferè hiemem peragrandis oppidulis & pagis finitimis contrivit ſanctus Miſſionarius, ac tanta facta eſt ubique morum commutatio, ut non iidem, qui priùs, eſſe homines viderentur.

Miſſio in pago Marlhes, exeunte an. 1635. Miſſionibus agri Vivarienſis finem imponebat cùm invitavit illum parochus *de Marlhes* ad Euangelicum opus in ſua paræcia faciendum. Ultro annuit, ſéque ad iter accinxit. Erat anni tempeſtas ſæva, præter ſolitum, & horrida. Ruſtici efferre domo pedem non audebant, nè haurirentur nivibus, aut torrentibus tumidis abrepti perirent. Claudius *Benſac* ſocius P. Regis, eum rogabat ut Miſſionem in aliud differret tempus. Sed is erat vir Apoſtolicus, quem nulla incommoda, nulla unquam pericula, retardarent. Nè punctum quidem temporis interponi paſſus eſt, quin viæ ſe committeret, ſpretâ tempeſtatis ſævitiâ, & itinerum inexplicabili difficultate. Illa vero tanta fuit, ut candidè poſtea confeſſus ſit nunquam ſe aliàs gravioribus objectum periculis, aut incommodis majoribus conflictatum fuiſſe.

Incomoda & pericula in itinere exhauſta. Benſacus, Patris comes, Anicium elapſa hieme, ac Miſſione Marlhenſi confecta, reverſus, varios hujus itineris caſus ità denarrabat. Profectos caliginoſo cælo nox oppreſſit, cùm adhuc abeſſemus longiùs ab eo, quò tendebamus, loco. Tum ego. *Quid agimus, mi Pater, & quorſum iter fruſtrà proſequimur, his tenebris, hoc cælo? An non ſatiùs fuerit in proximam villam divertere, ubi amicus exiſtimabit ſe ingens beneficium accepiſſe, ſi nos exceperit? Atqui*, reſpondit Pater, *Miſſionem indiximus in craſtinum. Poſſumúſne datam populo fidem fallere? Nihil eſſe tanti debet, ut moram nobis injiciat.* Rurſum ego: *Periculum eſt nè deerremus, & pernoctare cogamur in hac ſolitudine.* Et ille; *Macte, mi frater; praeunt nobis ac viam ſternunt Angeli Cuſtodes noſtri; nihil his ducibus timendum.*

Hæc oratio me aliquantulùm confirmavit: ſed in priſtinos redii metus ſimul atque cognovi nos rectâ exceſſiſſe viâ. Duas ipſas horas erravimus inter nemora, montéſque, nunc in alta ſublati juga, nunc in imas dejecti valles: modò ſidente nive obvoluti; modò in lubrica titubantes glacie; aliàs inter præruptos anfractus deprehenſi, & ubi eſſemus, quò pergeremus, ignari: ſæpe in aliam ex alia foſſam ruens, hærebam conſilii & auxilii penitùs inops.

Noctis caligo, nivium copia, luporum, quibus abundant hæc nemora, triſtes ululatus, horrorem augebant ac metum. Hìc ego

ego tenere me non potui, quin de Patre graviùs expostularem, qui nos tantum in periculum conjecisset. At me vicissim ille increpitans: *Modicæ fidei! Siccine tam levi, tam nulla de causa animum despondes? DEUS ipse nobis præit, dux viæ, & hoc duce times? En exercendæ patientiæ, en ornandæ coronæ locus!* Sed ego parum hæc audiebam, ità metus animum occupaverat. Videbar mihi altero quoque passu demergendus in voraginem, aut sepeliendus in nivibus, aut à lupis oberrantibus devorandus. Interim ex illo timore identidem sancti Patris cohortatione atque adeò exemplo recreabar. Tandem aliquando è tot erroribus in viam redimus, & paulò post mediam noctem subimus Marlhem, enecti frigore & fame. Pro certo habeo, subdit Bensacus, fieri sinè miraculo non potuisse, ut emergeremus è tot periculis, idque sanctitati Regis tribuo, qui unicè DEO fretus solitam tranquillitatem, tot malis obsessam, eripi sibi passus non est.

Ægroti duo admotis ejus pallii frustis persanantur.

Paucis post diebus, quàm advenerat, mulier ejus pallium sexcentis pertusum locis, & fœdè lacerum conspicata, dari sibi resarciendum rogavit. Porrò ut eximiam de illius sanctitate opinionem hauserat, lacerata & decisa frusta in pretio & honore habens, diligenter asservavit. Nec fuit sinè præmio caritas. Liberis suis duobus, quorum alter aquâ intercute, alter acutâ febri laborabat, admovit istos panniculos, & ambobus perfecta sanitas subitò constitit. Iisdem panni particulis vim deinde admirabilem ad curandos morbos inditam esse cognitum est.

Ejusmodi prodigiis cùm sancti Missionarii nomen latiùs increbresceret, facta est ingens ad ejus auctoritatem accessio, ingens ad eum hominum concursus, quos egregiæ virtutis odor undique Marlhem allectabat: ut perspici liquidò potest ex iis, quæ parochus Marlhensis, Jacobus *André*, postea Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Aniciensis, jurejurando affirmavit, & referenda curavit in tabulas publicas de cælitum honoribus Beato viro decernendis confectas.

Elogium servo DEI à parocho Marlhensi tributũ.

Cupidiorem, inquit, divinæ gloriæ & salutis animarum vidi neminem. Dies noctésque totus erat in ministeriis Euangelicis, nunquam labore fractus, nunquam victus. Spatio unius mensis solus in mea parœcia audivit ampliùs duo confessionum millia, & ferme peccatorum per totam vitam admissorum; aures pauperibus libentiùs dabat, quàm nobilibus. Totum se juvandis calamitosis dedidit; quibus paternum in morem opitulabatur & inserviebat. Intimo dolore commovebatur cùm DEUM audiebat offensum. Tunc

Lib. II. *tantùm insitæ lenitatis oblitus, efferri sanctâ cernebatur iracundiâ; tunc tonante ac fulminante voce perditissimos quosque perterrefaciebat. Non dubitâsset vitam millies projicere, ut nè divinum Numen culpâ graviore offenderetur. Unâ voculâ vel frigidissimos accendebat, emolliebat vel durissimos. Itaque mortalium numerus iniri non potest, quos ad bonam reduxit frugem, & in ea confirmavit. Absoluta Missione, parochianos meos vix agnovi; adeò mutatos inveni, & in alios homines transformatos. Non satìs habebat impendere se totum curandis ovibus meis, excurrebat in vicina loca incredibili studio & alacritate. Iter aliquando ingrediebatur sæviente asperrima tempestate, quæ vel audacissimis moram ac metum injecisset.*

Non frigus, nostris in montibus intolerabile, non tumidi collectis imbribus torrentes, non obstructæ nivibus viæ, non sexcenta alia incommoda, virum insuperabilem avocabant. Quin, suum illud impavidi pectoris robur aliis afflare & impertiri videbatur. Cùm aliquò proficiscebatur concionaturus, contemptrix periculi multitudo sequebatur: transeuntem operiebantur rustici, séque comitanti turbæ adjungebant. Adeò suavibus vinculis constrictos homines ejus lenitas & sanctimonia trahebant. Illum ego mediis frigoribus vidi coactum in silvis consistere, ut populo verba de DEO facientem audire cupienti, satisfaceret. Vidi summo in monte stantem, è duratæ nivis cumulo, tanquam è suggestu, cælestis verbi panem distribuere, totósque dies in hoc divino ministerio conterere ac noctem præterea totam audiendis confessionibus consumere. Nunquam ejus valetudo, nunquam vita ipsa, tot laboribus sufficere potuisset, nisì DEUS utramque potenti & prodigiosâ manu ad suam gloriam & salutem animarum sustentâsset. Non tantùm parœcia mea, (subdit idem parochus) verùm etiam Cleva, Argentonum, Sancti Servatoris pagus, S. Juliani, & S. Apollinaris, Molina, Muletta, compluréſque alii pagi & vici, easdem à viro sancto utilitates, eadem beneficia sunt consecuti.

Post Marlhem & omnem viciniam præsidiis Euangelicis penitùs instructam, exacta jam hieme, retulit se se Anicium, Aprili exeunte 1636. Collegii patres revertentem è difficillima expeditione læti receperunt. Sciscitantibus de valetudine tot laboribus exercita, tot ærumnis attrita: *Illâ vero*, inquit, *nunquam meliore sum usus: vires emenso curriculo, quàm inchoato, validiores experior; nec in me quidquam est moræ, quin actutum, si jubeant superiores, eidem me labori reddam.* Nihi-

Nihilo seciùs alebat pristina de convertendis ad Christum Canadensibus vota, & diurnis nocturnísque desideriis in Novam Franciam ferebatur. Interdum socium suum alloquens, *Me beatum*, ajebat, *si Canadensibus ad rectam fidem vocandis occupatum gloriosa mors inter focos Iroquæorum, aut Huronum secures, opprimeret!* Ejusmodi desideriis totus flagrans, statim atque subiit collegium, nihil antiquius habuit, quàm ut ab ejus Rectore P. Sebastiano *Vineau* quæreret, num quas ad se litteras accepisset. Unas dedit Rector, quibus Præpositus Generalis respondebat 18. Kal. Februar. 1636. epistolæ ipsius Romam Albenaco missæ anno superiori. Summa litterarum erat, tam multos è juventute religiosa Societatis, tam enixè Canadensem ambire missionem, ut eam omnibus concedere non posset. Exigua recentis Missionis vectigalia multis capitibus alendis paria non esse. Cùm forent paulatim aucta, locum pluribus operariis, atque ipsi præ ceteris datum iri. Curam interim ad comparandas virtutes Apostolicas intenderet, ac præcipuè ardentissimum amorem Crucis, quæ in istis Missionibus tam aspera, tam familiaris, erat. Lib. II.

Negatam sibi Missionem Canadensem mœstus audit.

Hoc responsum non sinè mœrore accepit: negatâ scilicet Canadensi Missione, ademptam sibi martyrii coronam ratus. Repulsam hanc suis assignavit peccatis; nec tamen dolorem, licèt acerbissimum, ullâ significavit querelâ; moderatores suos tanquam certissimos divinæ voluntatis interpretes intuens. Speravit futurum ut Superi aliud sibi stadium aperirent, in quo utiliùs elaboraret, cursúsque feliciter confecti metam attingeret. Eâ spe mœrorem suum consolatus est; nec frustrà. Nam injecta illi mens divinitus fuit sacræ messis inchoandæ Anicii, quod Velaunorum est caput, & per circumfusos montes ducendæ. Hic enimverò magna patientiæ, nec minor, quàm in Canada, seges extitit: ac felices manipuli permulti ex agro tam fœcundo collecti. In hoc, dum vixit campo, tam fortiter, ut modò videbimus, quàm gloriosè, desudavit.

Q VI-

VITA B. JOANNIS FRANCISCI REGIS.

Liber III.

P. Joan. Franc. Regis fructuosi labores in urbe Aniciensi. Quis tunc urbis status, qui mores.

BEatus Joannes Franciscus Regis, post excultum annis circiter sex Montempessulanum, Lavonagiam, & agrum Vivariensem eo, quem diximus, successu: quatuor postremos vitæ annos collocavit in restituenda & stabilienda pietate apud Velaunos, quorum regio fines Vivariensium attingit; Anicium gentis est caput. Totum hoc quadriennium obeundis Missionibus consumpsit; æstate quidem Anicii, hieme autem ruri, & inter agrestes. Ut nè res eædem sæpius repetantur, narrabimus hoc libro quæ gessit Anicii; & in sequenti libro, quæ in Velaunorum oppidulis & pagis perfecit. Anicium, ampla civitas & numerosa, non solùm indigenis frequentatur, verùm etiam advenis, quos invitat opportunitas comercii; & earum artium copia, quæ quia solerti & subtiliore tractantur manu, indè nomen *Manufactures* apud Gallos habent. In civibus ingenium; elegantiam quoque passim ac lautitiam meritò laudaveris. Frustrà jugum illis imponere tentaverat hæresis; vicinorum exempla funesta detestati, decus antiquæ religionis illibatum servaverant. Non eadem in moribus constantia, quorum corruptela tetram fidei, quam profitebantur, labem inurebat. Justus *de Serres* Aniciensem per id tempus regebat Ecclesiam. Splendorem generis ornabat insigni eruditione, prudentiâ singulari ac pietate: in primis autem tuendæ majorum religionis præstanti studio. Diœcesim suam sæpe contemplatus, dolebat eam vitiorum sentibus spinísque silvescere; quid remedii afferret non habebat. Bellorum civilium perturbatio laxaverat frena licentiæ, & nè malum ægresceret medendo, illud dissimulare cogebatur. Deerant etiam operarii, quibus ad eam curationem adjutoribus uteretur; quippe ad clerum & cœnobia magna pars corruptelæ manaverat. Hæc secum agitans audit Anicium venisse sanctum Missionarium, de

de cujus virtute, & rebus cum publico plausu fructúque gestis, Lib. III. multa jam cognoverat. Datum in eo sibi à Superis putavit auxilium, quo destinata perficeret. Arcessit illum, ac docet sibi esse in animo uti ejus consiliis ac ministerio ad reformandam diœcesim suam. Paratos, inquit, virtuti tuæ adversarios multos, & difficiles pugnas, prospicio: sed ubique tibi præstò erit auctoritas mea, & jam nunc omnem muneris mei potestatem concessam tibi volo. Regis, summa cum voluptate patefactam illustrem arenam intuens in qua & pugnandi & vincendi facultas amplissima foret; operam suam Episcopo prolixè detulit ad ejus populum vera pietate imbuendum; affirmans curæ, solicitudinis, & industriæ, nihil à se desideratum iri. *Ceterùm*, subjecit, *in hoc suscepto cum vitiosis populi moribus bello, non tantum mihi terroris est ab hostibus & adversariis, quos prædicas, quàm à peccatis meis. Verùm uno DEO fretus, in quo spem omnem meam collocavi, bono & securo animo sum.*

Illuxerat Aprilis anni 1636. cùm Regis habere conciones, & elementa doctrinæ christianæ enucleare in collegii templo cœpit. Petrus *le Blanc*, Episcopi Vicarius Generalis, testatus est explicari solita & evolvi ab eo religionis mysteria tanta perspicuitate, ut ea vel maximè rudes ac pæne cæci, viderent in bono lumine collocata; tantâ vi, ut fidem à maxime incredulis extorquerent. Crederes eum quasi reducto velo ipsa coràm intueri, adeò penitùs habere certa & persuasa sentiebatur. *Illius Conciones Aniciii, & earũ successus.*

Oratio simplex sinè calamistris & cerussa; nervosa tamen, grandis, & splendida; quam vox adjuvabat mirè ad movendos animos efficax: totum dicendi genus acre, vehemens, incitatum; hominem numine afflatum redolens, & cælesti succensum igne, quo inflammatus à terris, & à se ipso abripi longiùs, & superis proximè jungi, videbatur.

Quamvìs id illi unicè propositum esset, ut pueros & infimam plebem erudiret, nihilominus principes civitatis, atque lectissimi è cœnobiis, & clero, ad eum audiendum certatim concurrebant. Dum locum occupare quisque properat, subsellia duabus, tribúsve, antequam verba faceret, horis referta erant: omnésque fatebantur potiorem sibi esse illius sanctam simplicitatem, aliorum concionatorum pigmentis & elegantiâ. *Christum prædicat* inquiebant, *& purum putúmque DEI verbum; alii prædicant se ipsos, & humanum verbum pro divino venditant.*

Lib. III.

Oratori præclaro non placet concionātus Regis Euangelica ſimplicitas.

Cùm ædes ſacra collegii multitudinem non caperet, tranſiit ad templum S. Petri Monaſterienſis, quod erat Benedictinorum. Sed iſtud, quantumvis amplum, brevì anguſtum turbæ fuit. Occupatis & repletis odeis, plurima tabulata & theatridia, populo non ſuffecerunt. Audientium corona quinque circiter millia capitum vulgò numerabat: cunctis affirmantibus talem concurſum nunquam eſſe viſum; nunquam talem concionatorem auditum. Non æquis oculis concurſum hunc aſpexit celebris concionator, qui per quadaginta ſolemnis jejunii dies tunc Anicii concionabatur in templo cathedralis Eccleſiæ. Moleſtè ferebat, ſe deſerto, currere populum ad catechiſten audiendum, quem ſibi nequaquam comparandum arbitrabatur. Dolorem ſuum palàm ferre non auſus, occultiore, ad imponendum æmulo ſilentium, graſſatus eſt viâ. Provinciæ præpoſitum adit (is erat P. Joannes Filæus, & Anicienſe collegium luſtrabat) Fatetur Patrem Regis virum eſſe ſanctum, verùm ejus rationem concionandi abhorrere à dignitate ſacri ſuggeſtûs: ſtilum humilem & incultum, ſumptas è trivio ſententias, divini verbi miniſterium dedecorare. Provincialis, quorſum hæc pertineret oratio ſubodoratus, reſpondit videri ſibi rem attentiùs examinandam, & cum illo ad audiendum ſanctum Miſſionarium rectà pergit. Provincialem adeò movit viri Apoſtolici concio non ſolida minùs, quàm cœleſti unctione delibuta, ut lacrymas toto tempore cohibere nequiverit. Mox ad comitem ſuum in templi limine converſus, & adhuc æſtuans ardore ſacro ac dulcedine, quâ fuerat perfuſus: *Utinam vero, mi Pater, hoc ſtilo concionatores omnes uterentur! Sinamus virum ſanctum frui ſimplicitate ſua. Digitus DEI eſt hic.* Domum reverſus, & cum Patribus collegii diſſerens de Chriſtianæ doctrinæ, quam modò audiverat, explicatione, *Jam non miror*, inquit, *Patrem Regis audiri tanto concurſu, tanto fructu. Ego quidem certè, ſi Anicii degerem, operam illi ſic dicenti dare nunquam omitterem.* Concionator, alio conſilio ad audiendum Apoſtolici Miſſionarii catechiſmum cum Provinciali profectus, permotus illo tamen, perinde ac ceteri, fuit: quíque cenſor futurus acceſſerat, laudator, etſi ſubtriſtis, diſceſſit.

Provinciæ Præpoſitus laudat ejus ſanctā & ſimplicem facundiā.

At Provincialem divina P. Regis eloquentia ſic delectavit, ut poſtridie ad eum audiendum redierit cum P. Antonio *de Mangeon*, philoſophiæ profeſſore in collegio Anicienſi, præſtantis ingenii ac pietatis viro, cum quo familiariſſimè atque amiciſſimè vixi. Oriundus erat è Lotharingia, cúmque eſſet confeſſarius Du-

ciſſæ

ciſſæ Aurelianenſis, uxoris Gaſtonis, fratris Ludovici XIII. ſcripto Lib. III. mandaverat varia exempla virtutum, quas in P. Regis, dum unà verſabatur, obſervaverat. Ex eo ſcripto, cujus autographum habeo præ manibus, excerpam id, quod jam ſum dicturus.

Cùm doctrinæ Chriſtianæ capita P. Regis explicaret, oratio miram vim ad movendum habebat: planè ut appareret infuſam divinitus eloquentiam eſſe, non datam naturæ beneficio, vel ſtudio & labore comparatam. P. Joannes Filleus, Provinciæ præſes, quamvìs eſſet poſtridie diſceſſurus, voluit à me in templum deduci, ubi P. Regis verba faciebat. Inſtabat hora diei duodecima, & ad duodecimam cum dimidia ſuggeſtum conſcenſurus erat. Cùm dixiſſem loci nihil, ubi ſederemus, futurum: Eſto ſanè, inquit; ſtantes, & procul, ſi licet, audiemus. Pars mihi voluptatis erit excludi, aut in angulum aliquem compingi, ab infinita illa populi multitudine, quam herì tantopere ſum admiratus. Ivimus igitur, & repertus illi aliquis eſt, licèt ægre admodum, locus. Dicentem ſtans audivit per horam integram: tantúmque lacrymarum fudit, támque ſuaviter eſt affectus, ut me diſcedens ità ſit allocutus: Næ ego paſſuum millia duodecim libenter pedibus ambulaverim, ut eum auſcultarem, ſi longiùs ab urbe concionaretur. DEO plenus eſt iſte, & amore Chriſti flagrat; parem habet neminem. Præcipuam P. Joannis Franciſci methodum tradendæ populo doctrinæ Chriſtianæ, non leviori laude proſequitur idem Provincialis, ad Præpoſitum Generalem ſcribens, eíque reddens rationem luſtrati à ſe collegii Anicienſis: *Inter omnes collegii Patres*, inquit, *dignus eſt omni laude P. Regis: peculiari cæleſtis gratiæ dono & facultate pollet ad explananda Fidei Chriſtianæ primaria capita; de quibus verba cùm facit, concurrit multitudo infinita. Scribere mihi promptum non eſt, quàm ſtrenuè, quàm feliciter indefeſſus hic operarius in ſalutem animarum incumbat.* Reſcribens Provinciali Generalis Præpoſitus illi præcipit ut Anicienſes Patres hortetur ad eum imitandum; ipſíſque gratuletur quòd penès ſe habeant hominem, cujus præclara ſequi exempla cuncti poſſint.

Ejus ſanctitatis opinio in animis omnium altè defixa, vim ipſius verbis & novas ardentiſſimæ orationi faces ſubminiſtrabat; ea verò nuſquam clariùs enituit, quàm Anicii. Nuſquam vita auſterior: ſemel tantùm in die reficiebatur cibo; & quidem oluſculis, aut paucis fructibus. *Per duos, quos cum illo vixi annos*, ait P. Antonius de Mangeon, *nunquam vidi veſcentem carnibus:* *Sanctitate vitæ ſanctitatem miniſterii ſui tuetur, & illuſtrat.*

Lib. III. *nam vino jam dudum penitùs ultrò abſtinuiſſe notum eſt. Non contentus tam rigido, tam continuo jejunio, aliquod pœnitentiæ inſtrumentum corpori inducebat.*

Tenuatus macie & exanguis vultus, modeſtus idem, & habitum animi bene compoſiti exhibens, blandiſſima in congreſſu comitas; vox, actio, oratio, divini amoris igne ſuccenſa; hæc pondus concionibus, & auctoritatem concionatori, conciliabant.

Societatis ſacerdos, Anicii degens, hæc de illo ad Præpoſitum Generalem ſcribit: *Inter plurimos diligentes operarios, qui verſantur in hoc collegio, admirationem movet P. Regis caritas, & inexhauſtum ad mortales è vitiorum cœno educendos ſtudium. Cùm divinam explanat legem, à dicentis ore pendent ad quatuor ampliùs hominum millia; éſtque omnibus perſuaſum majorem ex uno ejus catechiſmo fructum percipi, quàm è multis ſacrorum oratorum vel præſtantiſſimorum concionibus.*

Benedictinus Apoſtolicā ejus vitā prædicat.

Andreas verò *Pavè*, ſacerdos religioſus è Divi Benedicti familia, hoc pro teſtimonio ſcriptum reliquit. *Eum audivimus in templo noſtri monaſterii concionantem tanto ardore, ut totam commoveret civitatem, & frigidiſſimum quemque amore divino inflammaret. Novi multos, vel potiùs innumerabiles, quorum perditos mores emendavit, quorum virtutem ad culmen Chriſtianæ perfectionis erexit. Nullus illi ſermo niſi de DEO, idque ſemper cum ſacro animi effervеſcentis impetu, quem ſtupentes attonitique mirabamur. In ipſo verò cernebamus omnium ornamenta virtutum, ſummum rerum infimarum, & ſui ipſius, contemptum; prodigioſam humilitatem, ſitim inexplebilem ſalutis animarum, tenerrimam erga pauperes caritatem. Ejus ſermonibus, atque adeò exemplis deliniti, gratias immortales univerſi ſuperis habebamus, quòd noſtris temporibus Apoſtolum hunc ſuſcitâſſent, qui fœdè lapſos incolarum mores priſtinam in formam, decúſque reponeret.*

Egregia illius in pauperes caritas.

Porrò inter laudes, quæ hîc Patri Joanni Franciſco Regis jure ac meritò tribuuntur, haud ſcio an ulla plus ad illuſtrandum & juvandum ejus miniſterium profecerit, quàm ſolicita & indefeſſa cura pauperes ſublevandi. Cùm eos præcipua ſecundùm DEUM caritate complecteretur, ſuarum ubique partium ducebat eſſe, illorum & animis & corporibus, quamcumque poſſet, opem afferre. Huc omne tempus à functionibus Apoſtolicis vacuum conferebat. Vix divinam legem explicare populo deſierat, cùm defectus viribus, & ſudore diffluens, properabat ad eos viſendos in eorum caſis,

ſis, in cuſtodiis, in noſocomiis. Ter ſingulis hebdomadis cunctos, quibus in urbe ipſa domicilium erat, congregabat, útque ſolemne habebat animi pabulum à corporis levamento nunquam ſejungere, initium ducebat à precibus, quas idonea & vehemens cohortatio ſequebatur. Deinde panem, aut nummos, dividebat: denique agendis DEO gratiis finem huic officio caritatis imponebat. Oppreſſos calamitate pauperes intueri non poterat, quin eâdem peræque ac illi ipſi, moveretur :. verùm commiſerationem ſuam non pio tantùm animi ſenſu, aut verborum ſuavitate metiebatur, ſed procurandis, quæ reſponderent commiſerationi, ſubſidiis. Ut verò nullius indigentia vigilantiam ipſius effugeret, habebat ſemper libellum præ oculis, in quem retulerat nomina omnia oppidanorum egentium, itémque incommodorum, quibus ſinguli premerentur; nec non matronarum, quarum caritas & copia illorum inopiam ſublevare poſſet. Earum unicuique regionem urbis aſſignavit, itémque certum numerum pauperum, quibus ſuſtentandis curam impenderent. Lib. III.

Cùm autem cerneret iſtarum nobilium ac piarum feminarum pleraſque onera caritatis, quæ ipſis imponebat, ſubire ſponte ſuâ, & perferre, conſtituit unam quandam ex illis conflare ſodalitatem, quæ familias totius urbis, à re domeſtica graviter laborantes, neceſſariis commodis inſtrueret. Ejuſmodi ad eas orationem habuit, cui nihil ſolebat reſiſtere: adeò ut ſinè ulla cunctatione decreverint in unum coire cœtum, cui onus incumberet incolarum egentiſſimo cuique opitulari. Omnibus id universè propoſitum, ut per vices alimenta compararent egentibus familiis, panem, juſcula, carnem: ſua deinde munia ſingulis præſcripta; aliis data procuratio negotiorum ſodalitatis; aliis cura corrogandarum à civibus oſtiatim, & in templis, eleemoſynarum. Aliarum partes erant familias hebdomadis ſingulis perluſtrare, & quo quæque plurimùm indigeret explorare, ut ad cœtum univerſum, cùm primùm omnes convenirent, referrent ea, quæ comperiſſent. Dici non poteſt quantum voluptatis probi, quantum allevationis egeni, ceperint ex hac pia ſodalitate ſic inſtituta, quæ magno civitatis commodo diu viguit. Hanc verò fundâſſe parum habuit Miſſionarii, verè pauperum patris, caritas; ipſe non ceſſabat per ſe divitum liberalitatem ſolicitare atque urgere. Illis ponebat ob oculos non alio conſilio inductum à DEO conditionum diſcrimen, quàm ut divites beneficentiâ, pauperes patientiâ, ſempiternas opes conſeque-

Piarum ſodalitatē matronarum inſtituit ſublevandis pauperibus.

Lib. III. rentur: divites ministros esse Divinæ providentiæ, pauperúmque procuratores. His rationibus adducti plerique, & verò sanctitatis famâ, quæ de viro Apostolico percrebuerat; magnam pecuniæ vim ejus fidei arbitrióque committebant. Quin, vicatim domos obibat, & quidquid offerretur, triticum, lectos, lintea, vestes, supellectilem, omnia muneri & lucro, in gratiam pauperum, apponens, reservabat.

Totius urbis indigentiam levat. In horreum quoddam domesticum congesserat ingentem frumenti copiam, cujus distribuendi, prout juberet ipse, provinciam dederat Margaritæ *Baud*, piæ feminæ. Collegii verò Rector cubiculum ipsi permiserat, in quo conderet quæ in usum pauperum corrogâsset. Cubiculum hoc thesaurum suum vocabat, ac sanè *ibi cor ejus erat.* (*Luc. XII.*) In eo variæ cernebantur apothecæ, hîc indusiorum, illic calceorum, alibi vestimentorum, & omnigenæ supellectilis, quam dividebat in egenos, ùt cuique opus erat.

Cùm in isto thesauro cuilibet egestatis parti, & malo, remedium præstò esset, ad hanc officinam confluebant è tota civitate pauperes, nec quemquam sua spes frustrabatur. Quibus deerat panis, eos allegabat ad Margaritam *Baud*, horreo suo præpositam, tantúmque tritici illis imperabat erogari, quantum ad sustentandam ipsorum familiam opus esset; qui lecto, qui veste, qui domestico carebant instrumento, hæc illis ipsemet impertiebatur. Copiosum penus, quod in omnes paratum habebat usus, sufficiebat universis. Temporibus duris, cùm frigebat commercium, ipse à pauperibus artificibus opera confecta deportabat ad cives locupletes, orans ut emerent, ac pretium prolixiùs quàm pro consuetudine, ac liberaliùs, caritatis studio, persolverent.

Præcipua ejus erga illos pauperes caritas, quos paupertatis pudor premebat. Porrò illas familias teneriori commiseratione prosequebatur, quæ priori statu dejectæ, cùm premantur gravi egestate, nihil tamen gravius egestatis famâ timent; leviúsque summas inopiæ angustias, quàm inopiæ pudorem ferunt. Æquè movebatur & miserabili earum conditione, & verecundiâ. Quamvìs autem suam tegere calamitatem summa ope niterentur, ipse tamen intentiore cura studebat tegere quæ illis procurabat, subsidia, ità ut sæpe sentirent se sublevatas, at manum beneficam, à qua erant sublevatæ, non sentirent. Nè illos quidem errones ejus caritas, nullis circumscripta metis, excludebat, qui proborum indignationem excitant sæpius, quàm commiserationem. Ceterùm, cùm panem à se corrogatum illis divideret, nihil prætermittebat, ut eos ab illa

vaga

vaga & otiosa vivendi ratione abduceret. Satiùs autem esse dictitabat falli, datâ indigno eleemosynâ; quàm, negatâ digno, seipsum fallere. Lib. III.

Nullum misericordiæ officium ejus caritas cupidissimè non amplectebatur. In vinculis detentos quotidie visebat; tantóque majorem ex eorum miseria capiebat dolorem, quantò minùs miserandi vulgò existimantur. Tum eò loci redacti sunt, ut significare nequeant calamitatem suam, & opem sibi necessariam postulare. Primarias aliquot mulieres unum in cœtum collegit, quæ miserorum vincula solarentur. Jam, inter vinctos iis peculiarem impendebat misericordiam, quos egestas sola facit reos. Ipsorum causam agebat sedulò apud judices, ut custodiâ emitterentur; & apud eorum creditores, ut aliquâ tolerabili conditione cum miseris paciscerentur.

Primarias mulieres plerasque unum in cœtum, ad vinctos sublevandos, colligit.

Mirum autem & incredibile videbatur hominem unum, & quidem pauperem omnibus urbis pauperibus subvenire posse, & onus tot familiarum alendarum sustinere. E testium jurata fide constat innumerabilem egentium incolarum multitudinem difficillimis temporibus ab eo fuisse sustentatam. Nihil non audebat, nihil non suscipiebat, Divinæ confisus providentiæ, quæ nunquam illi defuit.

DEUS ipse prodigiis non semel editis declaravit quàm gratam haberet Beati viri caritatem. Id tribus duntaxat exemplis illustrioribus docere satis erit, quorum testis omne Anicium fuit. Anno 1637. cùm spem agricolarum & vota messis fefellisset, frumenti pretium crevit supra modum, & annonæ gravissimâ difficultate tota regio laboravit. Plerique opifices omni auxilio destituti, conficiebantur fame, aut propè aberant ab exitio. Doluit calamitate publicâ Regis, ùt si sua unius fuisset; pauperúmque multitudinem propè infinitam, ùt unam familiam, ùt suam, spectans, omnes, incœpto perquam audaci, alendos suscepit. Ergo divitum ostia concursans, si quos audiret frumenti copiam domi comprimere, ac præstolari vendendi opportunitatem dum maximum tritico pretium necessitas imponeret, eos admonebat, nequaquam ipsis licere fructum è communi calamitate petere, & inopiâ tot miserorum ditescere. At quibus benefaciendi voluntatem pietas; facultatem, res familiaris lauta, dabat; iis revocabat in memoriam statuendum beneficentiæ modum pro modo miseriæ; hæc dum augeretur, illam quoque augendam & cumulandam esse: in ex-

Pauperes omnes alendos suscipit in summa difficultate annonæ.

Lib. III. trema necessitate graviorem impositam esse divitibus legem porrigendæ stipis, & DEO judice, plectendos tanquam homicidas egentium quos non pavissent.

His verbis sopitum caritatis ignem ubique denuo accendit: alii sua patefecerunt horrea, & triticum, quanti æquum erat, vendiderunt. Eo pacto laxata est aliquandiu annona: alii resignârunt loculos, & latentes nummos eduxerunt. Tantum denique, sive pecuniæ, sive tritici partim corrogati, partim vili pretio empti, est inventum, ut apothecam ingentem frumento repleverit: in ea quadraginta quatuor majores modii, quæ tunc in foro maxima mensura erat, numerati sunt. Ingens profectò numerus; sed pro tanta pauperum turba, quam susceperat alendam, exiguus.

Multi ejus prudentiam desiderabant, qui onus humeris impar subiisset? verùm cælestis auxilii viribus, nec temere, nitebatur. Margarita *Baud*, cui tradita hujus apothecæ custodia & dispensatio, tantâ fide, tantâ sollertiâ, frumentum distribuit, ut nulli familiæ defuerit, & nulli negatum esse Regis voluerat. Ceterùm ingravescente annonâ, exhauriebatur frumentarius thesaurus: crumenæ locupletum fiebant in diem arctiores, dum suum quisque periculum anteponit alieno. At provida Numinis benignitas, cujus fiduciâ tantum opus DEI famulus aggressus erat, in tempore ipso adfuit hunc in modum.

DEUS semel, iterũ, ac tertiò, frumentũ ab eo collectum multiplicat.

Monitus aliquando à Margarita *Baud* consumptum esse frumentum, consumptos nummos, quibus novum compararetur, nihilo seciùs ad eam misit pauperculam mulierem, onustam catervâ liberorum, jussítque, illi, quantum frumenti peteret, dari. Obstupuit Margarita, & accurrens, mirari dixit sibi rem ab eo imperari, quam præstare non posset, ùt ipse probè norat. *Quin tu pergis domum*, subjecit Pater, *& hujus pauperculæ saccum imples?* Affirmat Margarita nè tritici quidem granum sibi superesse. *Perge, inquam*, instat Regis, *abunde reperies quod & illi, & aliis bene multis, sufficiet.* Morem gerit Margarita, & horreum suum aperiens, redundare frumento stupet, datóque statim, quod petebatur, tritico, ad collegium properat lætitiâ gestiens, ut certiorem de prodigio Beatum virum faciat. Quam ille procul conspicatus, subrisit, & priusquam proloqui verbum posset, *Aliàs*, inquit, *divinæ bonitati plus confide, & horrea DEI semper esse plena scito. Abi, ac rem totam silentio tege.* Hoc prodigium addidit animos sancto Missionario, qui fiduciæ plenus jussit erogari obviis quibuslibet

libet

libet frumentum prolixè, ac pæne prodigè. Populus quid acci- Lib. III.
disset ignarus, capere non poterat quo fieri pacto posset, ut in tanta omnium penuria unus frumento affluens, tot familiis panem subministraret. Cunctis obstupescentibus, Margarita tenere se non potuit quin mysterium evulgaret; cujus fama continuò urbem implevit. Interim annonam ingravescentem secuta fames, diram inter rusticos edebat stragem: civitas pauperes suos communis expertes calamitatis cernebat læta, & servo DEI gratias ingentes agebat. Cùm tamen dandi nullum faceret modum, fons solitæ benignitatis exaruit. Vacuam apothecam Patri Margarita significat, monétque ut replendam denuo curet. *Quiesce*, inquit Regis, *providebo.* Mulier, quasi venturo tritico paratura locum, purgare apothecam ac verrere studuit. Eodem die Margaritam adierunt egeni complures à Patre missi, & frumentum rogantes. Illa de accipiendo frumento, non de dando, solicita, cum ipsomet expostulat, urgétque ut frumentum recens veteri consumpto substituat. *Nihil urget*, respondit ille, *necdum omne triticum in horreo consumptum est; imò suppetit adhuc ad multum tempus. Atqui horreum everri*, retulit Margarita, *& clausi: en tibi ejus clavim.* Cùm Regis perseveranter affirmaret frumentum in apotheca superesse, rediit illa propere, ac plenam, ùt priùs, invênit.

Cùm Beati viri benignitas consulere pauperibus indefessa perstaret, in ejus quoque gratiam edere prodigia bonitas divina perstitit. Restabat in horreo semodius tritici tantùm. Adsunt egeni complures, & saccos suos Margaritæ offerunt, jubere patrem ut impleantur. Ad illum excurrit anxia, & docet vix semodium superesse. *Istis omnibus tribue*, respondit, *& adhuc supererit quod tribuas.* Nihil opponere ausa, sumpsit saccos, implevit, & superfuit plus, quàm quantum dederat. Hoc præcipuum & insigne habuit tertia ista multiplicatio, quòd ùt cuique distribuebatur frumentum, ità crescebat in Margaritæ manibus; ídque tandiu perseveravit, quandiu annonæ gravitate laboratum est.

Ipsa incredulitas vel pertinacissima istis prodigiosis multiplicationibus fidem abrogare vix, opinor, ausit. Positæ in omnium oculis & auribus, jactatæ in vulgus eodem loci ac temporis vestigio, & excussæ, neminem, qui falsitatis eas coargueret, habuerunt. Easdem vir Sanctus inficiatus non est. Laudes quidem, quas merebantur, præ modestia, respuit, rem ipsam, studio veritatis, non negavit. Vidit universa civitas innumerabilem hanc

Lib. III. pauperum turbam, in summa ciborum penuria sustentatam, cui vita & incolumitas constare, nisi miraculo non poterat. Confecta sunt Acta, testes protinus interrogati, à judicibus, tum è populo tum è Clero selectis. Margarita *Baud*, honestæ sortis mulier, notæ probitatis & judicii, jurejurando confirmavit coram magistratibus & Episcopo, triplicem hanc multiplicationem gestam domi suæ, ac postremis durioris annonæ mensibus eductum à se fuisse prodigiosum frumenti numerum ex apotheca sua, cùm illuc nihil intulisset. Sanctorum Euangeliorum inter jurandum venerationem & auctoritatem interposuit, ejúsque testimonio civitas suffragata est. Accessit jurata quatuordecim idoneorum testium fides, quorum verba in Actis Canonizationis (venia sit huic Ecclesiastico vocabulo) referuntur. Sic DEUS constantem famuli sui erga pauperes caritatem calculo suo comprobavit.

Ejus in ægrotis ac morientibus adjuvandis solicitudo.

Nec levioribus argumentis, licèt interdum occultioribus, ejus, in ægrotis ac morientibus consolandis & adjuvandis diligentiam commendavit. Nam ea pars Christianæ misericordiæ semper illi potissimùm cordi fuit. *Quamcumque navamus operam peccantibus*, inquiebat, *donec vivant, incerta semper est*; SEMINAMUS BONUM SEMEN, *at venit inimicus, &* SUPERSEMINAT ZIZANIA, *quibus triticum opprimitur. Quidquid boni confertur morientibus, tutum, & in omne tempus fixum est: nec humanæ inconstantiæ levitatem, aut hostium insidias, reformidat.* Vocatus ad audiendas ægrotantium confessiones, nullâ distinebatur occupatione, quo minùs advolaret; erátque peculiari quadam arte, divinitus concessâ, præditus, ut eos ad sanctè moriendum præpararet. Initium hujus præparationis à peccatorum detestatione & pœnitentia ducebat: pernoctabat ad eorum lectos, nec ab iis oculos dejiciebat quoad ipsorum salutem aliqua ratione in tuto collocâsset. Itaque nihil ægrotis accidebat jucundius, quàm extremum spiritum in ejus sinu deponere. Ut autem esset paratior ad procurrendum quocumque necessitas vocaret, nunquam vestes exuebat noctu, semper expeditus ad minimos inclamantium nutus.

Puellam nobilē salute animæ periclitantē, ad sanctè moriendū comparat.

Ejus caritati cælum sæpe obsecundabat, significando illi periculum, in quo ægroti versabantur. Puella nobilis novem & viginti annos nata, fallacibus rerum caducarum decepta illecebris, induerat se in laqueos aut exitiales, aut exitio proximos. Incidit in morbum, nihil de morte, & necessaria ad eam piè obeundam præparatione, cogitans. Regis, post explicatam populo Christianam

nam legem, Dominicâ Quinquagesimæ, fortè transiit præter ægrotæ domum. Ibi arcana manu retentus medio in vico hæsit, & alienato à sensibus animo, constitit immobilis. Vidit puellæ soror, & ad sororem accurrens: *En*, ait, *P. Regis transit.* Ad has voces ægra velut evigilans, acciri Patrem jubet. Qui subitò ingressus, periculum ægrotæ divino lumine cognovit, ac moribundam de illo tam efficaciter monuit, ut acerrimo dolore correpta, peccatorum onus abjecerit, ac postridie rationis usu amisso, diem supremum expleverit: nemine dubitante quin DEUS manum P. Regis adhibuisset, ut eam sempiternis suppliciis eriperet. Lib. III.

Cùm autem ad morbum paupertas accesserat, tunc ad ejus caritatem novus accedebat stimulus. Ægroti maximè omnium destituti, erant illi omnium carissimi. Hujus Angeli consolatoris aspectus satis erat ad delendam omnem paupertatis & morbi acerbitatem. Fugiebat eo præsente dolor omnis & solicitudo. Modò ac scirent notam illi suam calamitatem, bono erant animo ac tranquillo; remedii ab eo certissimè afferendi fiduciâ. Ut autem miseris inserviret, ad omnia ministeria, etiam infima, descendebat. Conspectus est non semel Anicii, ùt aliis in locis, deferre ad eos imposita humeris cubilia, culcitas stramineas, vestes, & alia instrumenta domestica: ídque tanta oris & animi alacritate, ut facilè intelligeres quantum dignitatis in eorum persona vili ac despecta, docente fide cerneret.

Ejusdem studiũ in sublevandis ægrotis, maximè destitutis.

Post eam sterilitatem, quâ regio tota, ùt diximus, laboravit, tanta vis morborum in plebem incubuit, ut congesti promiscuè confertíque ægri valetudinarium publicum implerent. Non deterruit immensam Beati viri caritatem infinita propè multitudo, quin omnium curam in se susciperet. Obibat singillatim jacentium lectulos, consolationem aliis, aliis aliud quidpiam levamenti afferens. Non contrahendi morbi, quamvìs contagiosi, metu; non stomachosâ ægrotantium intemperie; non odoris gravitate; non labore ullo, rejectus, pergebat ore læto, animo lætiore, licèt ità plerumque debilitatus, vix ut pedibus niti posset. Heroicam profectò fortitudinem esse oportuit, quæ tot incommodis, à quibus natura tantopere abhorret, non vinceretur. Sed quò plus ægroti creabant nauseæ, ac fastidii, eò cupidiùs ad eos applicabat se se: ùt exemplis aliquot patebit.

Jacebat æger pauperculus in extrema oppidi regione, ulceribus, scabie, pedibus olidis, coopertus. Nemo reperiebatur qui ad

Rarum exemplũ heroicæ caritatis.

Lib. III. ad hoc vivum cadaver auderet aſpirare : tantus erat fœtor, tam miſerabilis & hominis & loci facies ! Ergo, nullo conſolante, nullo ſublevante, paulatim doloribus & egeſtate conficiebatur. Audivit Regis, ac deforme tugurium ingreſſus, aliquandiu obortis lacrymis hæſit, aſpectu lamentabili conterritus. Mox purgat centones, lavat ulcera, conquirit lectum & lintea, quin etiam vulneribus medicam admovet manum. Tam novam, tam inauditam benignitatem admirans miſer, ſeque referendæ gratiæ imparem ſentiens, illum liberatorem ſuum & patrem appellavit. Quem vir DEI ſuaviſſimè atque arctiſſimè complectens; *Ah, parce, frater,* exclamat! *Ex hac mea, qualiſcumque eſt, opellâ majorem, quàm tu fructum capio. Leve eſt quod tua cauſâ facio; plura facere debeo, plura velim. Unum à te peto ut ignoſcas, quòd ad opem tibi ferendam tam ſerò acceſſerim.*

Eâdem caritate ductus curandam ſuſcepit pauperrimam mulierem, quam pudor & morbus tenebant latentem atque abditam caſâ, in Sancti Ægidii ſuburbio. Immanis cancer faciem ſic arroſerat, ut fœdiſſimam humani vultûs imaginem, ac pæne larvam, præ ſe ferret. Nullus ad eam oculos aut gradum propiùs ferre ſuſtinebat. Ipſa ſibimet intolerabilis, ultro lucem hominéſque fugiebat. At perſpicaces Apoſtolici exploratoris oculos non effugit. Adeſt, & ad patientiam cohortatus, cibum ſingulis diebus, interdum etiam aliquid obſonii lautioris infert. Cùm autem tantâ rerum omnium inopiâ premeretur, ut nè cathedra quidem domi eſſet, unam attulit, quæ ſervatur etiamnum Anicii, tanquam ſacrum caritatis heroicæ monumentum. Hanc periclitantes in partu feminæ, afferri ſibi rogant; in eáque confidentes permultæ, fœtus incolumes citò ac feliciter effuderunt.

Cùm vitam ſuam egenis & ægrotis addictam unicè ac devotam crederet, vix unquam è collegio pedem efferebat, niſi ad eos conſolandos, eorúmve confeſſiones excipiendas. Hoc illius occupationum caput: tunc ſe vivere ac regnare arbitrabatur. Quidam è Societate & Provincia Lugdunenſi, tranſiens Anicio, à Rectore petiit dari ſibi aliquem à quo deduceretur per urbem ad ea viſenda, quæ nobilis & antiqua civitas advenis contemplanda ſervat. Regis ad omne caritatis officium ſemper expeditus, illi ſe deductorem obtulit. Vix égreſſi domo erant, cùm DEI ſervus quæſivit, num moleſtè laturus eſſet ſi viſerent inter eundum pauperem graviter ægrotantem. Annuit advena. Regis conſolatus

tus ægrum adjuvit ad eliciendos complures pios virtutum varia- Lib. III.
rum affectus: rémque bellè processisse videns, hac domo digressus, alteram subit, itémque tertiam, ac demum quartam. Abreptus æstu solito pietatis, & socii dieíque immemor; instare demum noctem animadvertit, & in collegium recipere se coactus est. Erubuit, & à Patre, cui se deductorem obtulerat, veniam imprudentiæ petiit. Ille verò confessus est auditum à se Regis de rebus divinis colloquentem majori cum voluptate quàm si pulcherrimam totius orbis civitatem perlustrâsset. Hinc facilè colligi potest, quantus in Apostolico pectore arderet amor erga pauperes, in quibus visendis, consolandis, sublevandis, totus esse, rerum ceterarum oblitus, videretur.

His maximarum virtutum illustribus documentis, quæ præcipua sunt Apostolicæ Missionis argumenta, donum miraculorum DEUS adjecit, ut servo suo, quem ad reformandos mores, & restituendam pietatem, suscitaverat, major auctoritas & certior divinæ Missionis fides, inesset. Abiret longiùs oratio, si recenserentur singillatim omnes morbi, quibus præsentem fecit medicinam, victis naturæ artísque legibus. Insigniores quosdam ex ingenti acervo decerpam.

Plures ægrotos morbis liberat.

Puella continenti æstuans febri, cum gravibus incrementis, narrabat illi non solùm morbi sui acerbitatem, sed etiam calamitatem parentum, quibus unicum, unde alerentur, vectigal erat filiæ labor, & opera quotidiana. Permotus infelicis familiæ miserabili statu, in genua procumbit, prope lectum ægrotantis, ejúsque sanitatem clara voce, audientibus bene multis, qui aderant, à DEO postulat. Sensit se exauditum. Surgit, & supra jacentem ducta in modum crucis manu, tollénsque vocem, imperantis ritu, *Febris*, ait, *facesse procul, & ægram hanc omitte, cujus valetudo est ad sustentandam familiam necessaria.* Morem gessit febris, & puella confestim sana surrexit. Recitatur hoc miraculum in Actis Canonizationis, & admiratione totam urbem complevit.

Catharina *Boutaud*, imminente partu, cruciabatur doloribus acerbissimis. In summum adducta periculum, Patrem Regis arcessivit; qui postquam laborantem, excitata divinæ misericordiæ spe, confirmavit, audita ejus confessione, discessit. Egressum ægrota subitò revocat, jussísque occludi foribus ædium, *Hinc exire te non patiar*, inquit, *nisi mortua, aut precibus tuis liberata.* Regis adstantes propinquos rogat, ut secum preces fundant in vicino

 cubi-

Lib. III. cubiculo. Ibi vix recitatæ fuerant litaniæ B. Virginis, cùm puerpera edito feliciter partu, paulò post omnino convaluit.

Aliquanto plus admirationis habet sanatio quæ sequitur. Feminæ à medicis depositæ, & animam agentis confessionem exceperat. Orant, profusis lacrymis, propinqui, & obtestantur, ut vitam & sanitatem moribundæ à DEO exoret: ità consolentur familiæ, quam copiosam & omni destitutam ope relinquebat. Movit Beatum virum illorum fides, & sacrum numisma, quod appensum Rosario gerebat, immittit in vas aquæ: mox aquam benedicens, potandam ægrotanti dedit, quæ subitò liberata febri, & pristinæ restituta valetudini sic fuit, ut si nullum unquam ejus detrimentum fecisset.

Septennem puerum multos jam dies ardentissima torrebat febris. Nihil in remediis auxilii, nihil in Medicis. Pater præ dolore oppressus nocturnis diurnísque lacrymis conficiebatur, negabátque se superstitem esse posse unico filio, cujus vitam potiorem ducebat suâ. Auctores amici fuerunt ut opem imploraret viri sancti, de quo tam multa, tam mira, omnium sermone celebrabantur. Eum convenit, ac lacrymis pluribus, quàm verbis, obsecrat, ut misereſcat filii, quem morbus; & patris, quem dolor exanimabat. Flentem & luctu perditum videre siccis oculis non potuit vir benignissimus; sequitur, & domum, ubi jacebat puer, ingressus, familiam omnem aspicit in fletus, lamentationes, & ejulatus effusam, quia puer cum instante morte luctabatur. Ut primum conspectus fuit DEI servus, quasi ad benigni sideris exortum tetra illa caligo tristitiæ, quæ mentes & ora occupabat, est depulsa, spes nova, contra spem omnem, affulsit. Ipse puer vocibus interruptis paulò antè affirmaverat, si videre sanctum Patrem posset, sese persanandum certò fore. Spes illum sua & omnem familiam frustrata non est. Animum & vires reddere moribundo visa præsentia servi DEI, qui post brevem & solicitam precationem, haustum aquæ, à se consecratæ, dari puero jussit. Ille dulci statim correptus somno, sanus & valens evigilavit.

Videbatur Sanctus Pater imperium quoddam in omnes cujuscumque generis morbos obtinere. Cúmque ista *gratia curationum* majora in dies incrementa caperet, omnes ad eum ægrotorum concurrebant. Mulier profluvio sanguinis laborans, rogandum curavit, ut ad se diverteret. Aliquot precibus cum ea recitatis, sanguis momento constitit.

Ægro-

Ægrotorum domos pro more perlustranti occurrit femina in summas morbi angustias adducta propter pertinacem dysenteriam, cum febre continua conjunctam. Primum illud suasit, ut, voto piè nuncupato, alicujus è numero cælitum opem flagitaret. Respondet illa jam factum, nec semel, sed frustrà. Hujus nempe morbi propulsandi gloriam DEUS servo suo reservabat. Humi pronus ingenua preces cum ægrota fudit. Mox eam sedulò adhortatus, ut spem suam omnem in divina bonitate reponeret, affirmavit nequaquam hoc morbo morituram. His vocibus abacta cum febri dysenteria diffugit. Noctem quietam duxit ægra, & manè restitutam sibi cum viribus integram valetudinem sensit. Reversus ad eam postridie Regis cùm audivisset exclamantem præ gaudio, *Ah, liberator meus!* tacere jussit. Sed quantò enixiùs silere jubebatur, tantò impensiùs acceptum beneficium evulgavit. Lib. III.

Erepta morti virginis non obscuræ vita latiùs ad famam emanavit. Exhaustæ medicorum artes, spem salutis omnem ademerant. Certior factus Regis ægram in præcipiti esse, cúmque ipsa morte luctari, advolat. Quem aspectans medicus, *Nihil*, ait, *opus est properato: neque plus ægrotam præsens, quàm absens, juveris.* Omnino puella totis artubus dirè convulsa; vocis, mentis, ac pæne motûs expers, supremam decurrebat horam. Tantò plus doloris jactura præstantis virginis afferebat sancto Missionario, quantò plus utilitatis ex ejus, cùm valeret, sedulitate, industriáque capiebat. Ergo medicum & parentes virginis rogat ut parumper secedant. Ipse cum socio solus procumbit humi, prope lectulum, & multis cum lacrymis Patrem cælestem orat, ut respiciat benignè tot pauperes, quorum puella curam gerebat, eámque vivere ac valere jubeat, quæ illis in loco matris esset. Hunc in modum precatus; erigit se, & moribundam nomine inclamans: *Gratias age DEO*, inquit, *qui longiorem tibi concedit usuram vitæ, ut eam studio deinceps majore in ejus bonorem & pauperum commoda impendas.* Tunc velut ex alto suscitata somno, aperuit oculos, & sanctum virum conspiciens, recepto cum voce spiritu, *Ah! mi Pater*, exclamat, *quem in statum deductam me vides? Bonum*, subdit ille: *jam vivis & vales; vide ut restitutâ divino beneficio sanitate rectè utaris.* Addidit salutaria quædam monita, & medicum, ac parentes revisens, quasi rei totius ignarus: *Non video*, inquit, *cur tantopere desperanda sit ejus salus: nec ità malè, meâ quidem sententiâ, se habet.* Movit medico & parentibus

Lib. III. admirationem hæc affirmatio: ac multò magis obſtupuerunt, cùm ipſam virginem audierunt clamantem ſe valere, quam modò animam agentem reliquerant. Medicus, explorato arteriæ motu, febrim deceſſiſſe cognovit. Rogata quid accidiſſet; neſcire ſe reſpondit; hoc unum ſcire, veniſſe cum ſocio Patrem Regis, & poſt brevem cohortationem ad pietatem diligenter colendam, receſſiſſe.

Hæc adhibita, favente Numine, curandis corporum morbis remedia, hominum exiſtimationem auxerunt de præcipua Beati viri apud DEUM gratia, & ejus ſedulitatem exſtimulârunt ad curandos animorum morbos, quorum gravitatem & pericula cum probè intelligeret, viſus eſt ſæpe diffluere lacrymis, interdum etiam animo linqui, cùm de nonnullorum improborum flagitiis audiret. At ſimul ingenioſa caritas illi remedia ſuggerebat, quibus ejuſmodi ægroti curarentur.

Solertia in curandis animorum morbis.

Sic vulgò ſunt improbi, morbos ſuos amant, medicos oderunt. Itaque multa tulit vir Apoſtolicus ab iſtis voluntariis ægris, perpeſſu aſpera, dum illorum ſanare cupiditates molitur. Verùm iſtis acerbitatibus tantum abeſt ut reſtinctus fuerit ejus ardor ad vitia curanda, ut etiam ipſæ vexationes, DEO gubernante, vim remediorum & vicem habuerint. Id exempla, quæ ſequuntur, docebunt.

Mercator locuples, legum ac pietatis contemptor, qui nullum pridem dicendi & faciendi, niſi quem libido ſuaſiſſet, norat modum, apertè odium in ſanctum Patrem profitebatur; ídque nullam aliam ob cauſam, quàm quia ille publica flagitia, & flagitioſos, libere inſectabatur. Ejus famam calumniis atrocibus clàm vellicabat: palàm temerarium, audacem, inconſultum, ſimulatorem pietatis, appellabat. Quin etiam eò progreſſa erat hominis protervia, ut illuderet occurrenti atque inſultaret: ſolo aſpectu Regis efferabatur & excandeſcebat.

Quantò videbatur injuſtius mercatoris odium, tantò viſa eſt juſtior cauſa famulo DEI cur illum ſalvum, tótque gravibus liberatum malis, vellet. Occaſione data injecit illi neſcio quid obiter de ſempiternæ ſalutis negotio. Rejecit ſermonem improbus ferociter atque inhumanè. Non deterritus ſtolida feritate medicus ſapiens, & phreneticum aliâ viâ curandum ratus, molles aditus in mercatoris libidinoſi animum & amicitiam captat. Senſit lucri avidum. Ergo huc intendit curam ut ejus commercio faveret,

veret, ac mercium venditionem quàm posset honestissimè ac facillimè quæstuosam illi procuraret. Ipse ab eo mercabatur quæ opus erant ad alimenta, & usus necessarios pauperum; ipse cum familiaritate quadam ac fiducia consilium ejus & mentem exquirens percontabatur quid agendum censeret, ad sustentandas familiarum inopum angustias. Lib. III.

His officiis mercator factus multò humanior, & commodior, audire cœpit, quem antea nè intueri quidem sustinebat. In spem vicissim adductus vir sanctus hominis tandem aliquando expugnandi, & occasione utendum existimans: *Nullam vigiliarum, valetudinis, ac nè vitæ quidem rationem habes, ut congeras opes*, inquit: *at quis tandem erit tanti laboris exitus? Quæ parâsti cujus erunt? Hæc omnia momento mors auferet. Propter hæc tamen bona, morti sic devota & addicta, vixisti hactenus immemor & negligens beatæ immortalitatis, quæ tua, si velles, erat. Quid, obsecro, proderit congestas opes opibus cumulâsse, si tute ipse jacturam tui feceris?* Percussit hæc oratio mercatorem: inquietam & insomnem, iis quæ audierat secum reputandis, noctem egit: mox acri dolore concussus, ubi primùm diluxit, pergit ad P. Regis, eíque suos terrores denarrat. Venientem excepit vir DEI summâ oris & animi lætitiâ: ejus tamen terrorem ità consolatus est, ut eum non leviter augeret ob oculos posito letali veterno, in quo tot annos obtorpuerat. Indè spem timori blandè admiscens, commemoratâ cælestis Patris in filios peccantes & prodigos clementiâ, pristinum sanctæ caritatis ardorem excitare conatus est. Luctatus aliquandiu secum reus, deditionem fecit, sibíque certum denique ac deliberatum esse renuntiavit, alios mores, aliam vitam inire. Sinceram voluntatem præsenti statim pignore demonstravit. Domum quippe repetens mulierculam, cum qua turpiter consueverat, sociam illecebrámque scelerum, ejecit: tum eleemosynis ac precibus ad sacram confessionem rite præparatus, delicta omnia superioris ætatis explicuit, tantámque vim lacrymarum profudit, ut magnitudine doloris pœnarum, facinorosæ vitæ sceleribus debitarum, gravitatem aliquo pacto compensari posse Regis putans, novum pœnitentem paulò indulgentiùs habuerit.

Improbũ, publicâ laborantẽ infamiâ, expugnat.

Ille verò impositam sibi in Sacramento pœnam leviorem judicans, & cum DEI famulo amicè conquestus, *Cur*, inquit, *imbecillitati meæ parcis? Quo pacto pœna tam levis tam sceleratæ par esse vitæ potest? Rectè judicas*, respondit Pater; *graviorem meteris*,

Ejus caritas in reũ multorũ scelerum, at pœnitentem.

Lib. III. *reris, & expectare debuisti pœnam, si tuorum criminum numero & moli consentanea foret: sed ego quidquid solvendum tibi restabit, luam.* Ità se de industria gesserat prudens sacerdos; hinc quidem cavens, nè invalidis adhuc humeris onus justo gravius imponeret; indè verò non dubitans, quin hac illectus indulgentiâ graviores à se pœnas ultro expeteret: uti reipsa contigit. Et ipsa compertum experientiâ rector animarum exercitatissimus habebat, cùm animus ab amore peccati verè abstractus totum se in DEI jura transcripsit, tunc novo pœnitentis fervori frena esse injicienda, nè ultra prudentiæ terminum excurrat, dum injurias, à se illatas DEO, in se vindicare nititur. Hic, de quo nunc agimus, reliquos vitæ dies in gravissimis, quibus pœnitentia sontes pios plectit, pœnis duxit, exemplísque sanctioribus prava, quæ populo præbuerat, exempla sarcire laboravit.

Hoc ingenium servi DEI, ea dos & virtus erat, ut asperitatem semper suavitate condiret. Sic animos vel maximè aversos ac rebelles, ad se, Deúmque, convertebat; & qui ejus aspectum horruerant, humanissima lenitate deliniti, sponte, quocumque ducebat, sequebantur.

Multos ad bonam frugem lenitatis illicio adducit.

Juvenis libidine æstuans, atque odio in Patrem, à quo ereptam sibi dolebat feminam, cujus vinculis irretitus misere tenebatur, consilium de illo mactando inierat. Rem ut certiùs occultiúsque conficeret, devium iter occupat, quà sciebat esse transiturum. Hunc ubi primùm aspexit Regis, mentem ream, DEO docente, perspexit; & procurrens, *Novi*, ait voce blandissima, cui nihil erat inexpugnabile, *Novi quid istbic agas, & quid velis. Non facies.* Mox in amplexum ruens; *Ah, frater carissime, cur hunc perditum vis, qui te tantopere salvum ac beatum cupit? qui salutem & vitam sempiternam, summum & unicum bonum, comparare tibi morte sua non dubitet?* Exarmatus tanta caritate cecidit insani hominis furor: advolvitur ad Beati viri pedes, veniam petit, ac bonam in posterum frugem pollicetur. Constitit promissis fides: flagitia detestatus, totum se regendum servo DEI permisit.

Non dissimilem habuit exitum nefaria trium è primariis Anicii familiis juvenum conspiratio. Idem illos, qui hunc modo memoratum, accendebat dolor, erepta impuris amasiis amica. Subeunt collegium vergente in noctem die, illúmque arcessendum curant. Monitus à janitore tres nobiles adolescentes adesse ad januam, qui paucis ipsum velint: *Scio*, inquit, *quid velint, illos in*

tem-

templum inducito. Ipse aliâ viâ in ædem sacram se infert, & ado- Lib. III. rato Christo, cui se victimam, ejus gloriæ immolandam obtulit, rectâ pergit ad conjuratos, vultúque interrito, & animosa voce, *Non me fugit quid consilii ceperitis. De me DEUS arbiter vitæ meæ viderit; in ejus manu ac potestate sum: quam inferre mihi mortem conjurâstis, hæc meorum summa votorum est; eáque me minùs movet, quàm luctuosa mors animarum vestrarum, quæ vos tam parùm movet.*

Cùm se deprehensos detectósque senserunt, hæsere attoniti & conturbati, præsertim cùm non intelligerent qua rescire viâ consilium potuisset, cujus neminem esse conscium voluerant. Ut vidit trepidos & immobiles, *Obsecro vos*, inquit, *& obtestor, ut in gratiam cum DEO redeatis. Si vos rea multorum criminum conscientia perturbat ac dejicit, erigat in spem divina clementia, quæ vobis patentem & obvium misericordiæ sinum pandit.* Hæc locutus singulorum collo brachia circumdat, orans ut DEUM patrem & amicum habere, quàm judicem & ultorem malint; ejúsque justam severitatem salutari pœnitentiâ præveniant. Hæc inermis & imperiosa lenitas arma de manibus juvenum, & sceleratum ex animo consilium extorsit. Amor odio successit, veneratio contemptui, horrori fiducia. Complectuntur vicissim ejus pedes, & insani furoris veniam supplicibus lacrymis rogant. Cúmque instaret ut in gratiam recipi cum DEO festinarent, omnium audacissimus confestim sacra confessione noxas detersit. Alii duo postridie venerunt, & in sinum Beati Patris onus peccatorum deposuerunt. Hæc omnia singillatim ex iis ipsis fuere cognita, referentibus acceptum DEI famulo, & suum à vita libidinosa transitum ad sanctiorem; & constantiam in emendatis moribus, quam postea tenuerunt.

Mortalium omne genus amplectebatur ejus caritas; nulla vitæ conditio illius exsors erat. Messis tempore concurrebat Anicium è vicinis agris turba rusticorum ingens, ut operam suam locarent ad frumenta demetenda. Tunc P. Joannem Franciscum cernebat læta civitas in ea occupatum cura, ut miseris agrestibus domum, ubi pernoctarent, procuraret, tum verò ut provideret nè quid peccaretur per istam colluviem virorum ac feminarum; inter quas adolescentulæ non deformes reperiebantur. Itaque viros à feminis segregans, utrisque seorsum diebus dominicis & festis doctrinam Christianam explicabat, & immane peccati odium in omnium ani-

Lib. III. mis imprimebat; multorum excipiebat confessiones, ægrotos omni ope adjutabat. Hac solicitudine duo potissimùm est assecutus, primum ut rustici complures Calvini lolium è depravatis mentibus extirpaverint; deinde ut rigata crebris cohortationibus pietas radices altas egerit in istis adolescentulis, adeò ut convelli neque minis, neque promissis potuerit. Quin etiam audivit non sinè voluptate aliquas per longum iter vexatas à protervis juvenibus, eorum improbitati ac petulantiæ acriter restitisse.

Multos improbos prudenti severitate debellat.

Admiscendam interdum lenitati severitatem Christus, operariorum Euangelicorum exemplar, docuit. Magistri vestigia persequens attentus discipulus non leviora prudenti severitate de vitiis trophæa retulit, quàm blandâ illâ conciliatriculâ lenitate, cujus suavissimum robur aliquot exemplis hactenus declaravimus. Juvenis centurio accusaverat se in sacro pœnitentiæ tribunali, quòd dicatam DEO virginem ad peccandum allicere tentâsset. Hujus immanitatem facinoris tanta verborum gravitate DEI servus reo demonstravit, ut quasi percussus fulmine, obriguerit. Idem ætate provectior sæpe amicis familiariter affirmavit, obversari adhuc sibi quæ tunc à viro sancto audierat; séque ex eo die sic affectum & comparatum permansisse, ut fixum penitùs ac statutum haberet vitæ potiùs, quàm divinæ gratiæ jacturam facere. Hæc illa scilicet *vox Domini confringentis cedros*, * *& extinguentis impetum ignis.* Eadem Domini vox eandem in famulo suo vim habuit ad confringendum civem ebriosum, cujus impotentiam uxor, & liberi, tanquam infelices victimæ cæco furori devotæ, deplorabant. Monitus non semel à P. Regis de turpitudine scelerum, in quæ vino gravis ruebat, parùm ejus verbis movebatur. Insanum furorem lacrymæ conjugis, & liberorum gemitus irritabant. Mulier tot victa malis, víxque sui compos, ad B. Patrem confugit; non tolerabilem præterea viri amentiam, nec ullum jam belluinæ intemperantiæ modum esse clamitans. Adhibuit miseræ, quam potuit, consolationem DEI servus: tum parumper se colligens, & sublatis in cælum oculis, *Bono animo*, inquit, *esto, & magnas DEO gratias age, qui mariti tui mores in melius referet, tuámque sortem felicissimam, & omnibus Anicii feminis invidendam, reddet.*

* *Psalm. 28.*

Paucis pòst diebus ebriosum in devia urbis regione solum nactus, verbis, quæ justus accendebat dolor, & oculis fulminantibus, nec opinum aggreditur: *Sceleratum caput, & indignis millies perire dignum modis! nunquámne sani hominis ac sobrii mentem*

tem

tem suscipies! Ecquem vidisti honestæ sortis civem, qui rationem vino mergat, & in uxorem sæviat? Pecudum est hoc vitium, non hominum. DEUM nisi resipiscis, ultorem pertimesce. Ad hæc verba infelix, tanquam de cælo tactus, retrò præceps ruit. Dein assurgens, & terrore paulùm discusso, ereptam sibi mentem indolémque pristinam, & evulsas ebriosi furoris fibras omnes sensit. Bellum cauponis omnibus indixit, in quas nunquam deinde intulit pedem; imò vini usum omnem sibi deinceps in perpetuum interdixit. Ab eo tempore vixit conjunctissimè cum uxore, ac munia cetera Christiani diligentis implevit. Hac forti severitate nunquam pugnavit acriùs strenuus & impiger operarius, quàm adversus istud genus impiorum, qui contumeliosas in DEUM & Sanctos jactant voces. Eas si quando auribus acciperet, largo fletu rigabat vultum, ac toto interdum corpore contremiscebat. Tunc intimo dolore percitus prorumpebat in atroces minas; quæ si erant inanes, omnem movebat lapidem, uti suadet S. Joannes Chrysostomus, ut illatam injuriam divinæ Majestati omnibus modis, quos comminisci justus dolor potest, vindicaret. Sanè tota civitas eum tanquam capitalem ejusmodi impiorum hostem spectabat, neque præsentius aliud remedium ad eorum coërcendam impietatem occurrebat, quàm si hæc P. Regis auditurus diceretur. Hac sola denuntiatione petulantissimi quique obmutescebant. Incidit aliquando in duas mulieres inter se rixantes in platea, & per cæcum furorem nomen DEI sanctissimum contumeliosè usurpantes. Monuit, obsecravit, nec voci & minis pepercit. Cùm surdas mulierculárum aures verberaret, ora saltem ut obstrueret, cœno implevit manum, & impetum in vociferantes fecit. Quo spectaculo attonitæ subitò constiterunt, cecidit compressus furor, & reconciliatâ inter ambas gratiâ muliebrem rixam omnino composuit.

Lib. III.

Contumeliosam in DEUM verborum impietatem acerrimè insectatur.

Remedio duriore personati ganeonis impietatem compescuit. Quò vehementiùs monebatur & objurgabatur, eò petulantiùs divinum numen ore scelerato incessebat. Non tulit vir Apostolicus, &, ùt alter Phinees, injuriam tam protervè DEO suo factam ulturus, improbum impactâ in malam palmâ percussit. Id, instinctu peculiari divini spiritûs, contra vulgaris prudentiæ leges, factum à viro sancto fuisse statim apparuit. Quippe impius, ubi se percussum sensit, ad ejus procidit pedes, larvâ depositâ, & emendationem pollicitus, opem illius ad eam præstandam depoposcit.

Ità unius hominis castigata fuit impietas: eadem labes à mul-

Lib. III. tis ſimul eſt depulſa non minùs efficaci ratione, licèt non tam ſplendidè ſeverâ. Cùm hanc impia in DEUM verba effundendi peſſimam conſuetudinem inter certæ profeſſionis cives inoleviſſe reſciviſſet, omnes in concione, quam ad S. Petri habebat, rogavit ut ad ſe in ædem collegii accederent, diémque & horam quâ convenirent, edixit. Ut vidit collectos, de hac impia conſuetudine diſſeruit, tantâ vi, tantâ copiâ, ut cunctos metu ac terrore impleverit. Nec ſterilis terror fuit. Peracta concione, omnes una & clara voce ſunt polliciti, ſe nunquam, verbo impio, ac nè juramento quidem, debitam nomini divino venerationem violaturos. Et ùt quiſque templo excedebat, eâdem ſe apud P. Regis ſponſione obligabat, affirmans nihil unquam tanti fore, ut datam DEO, ipsíque fidem frangeret. Hoc amplius; legem hanc ultro ſibi communiter dixerunt, nullum ut aggregari ſuum ad numerum, aut in eo verſari paterentur, qui fidem tam ſanctè datam falleret: ac pleríque conſecutis diebus totius vitæ noxas cum ſincera ſignificatione veri doloris expiârunt. Hoc pectoris Apoſtolici robur erat in propulſandis divinæ Majeſtatis injuriis, ſive illas cerneret præſens, ſive abſens audiret factas. Sibi temperare non poſſe videbatur, quin ad eas prohibendas, etiam propoſito vitæ periculo, nervos omnes contenderet. Sed hæc firmitas tamen & conſtantia, ut Chriſtiana, ut heroica ſit, duci moderatione, patientiâ fulciri, debet. Hanc verò laudem Heroi noſtro nequaquam defuiſſe jam patebit.

Debitam ſacris ædibus venerationem contra impios tuetur.

Toto ante quadragenarium jejunium triduo, templum Societatis magnificentiſſimè adornatum erat. Illectus pompâ & novitate ſpectaculi populus, relictis Bacchanaliorum nugis, & flagitioſâ licentiâ, concurrebat ad Chriſtum adorandum, publicæ venerationi propoſitum. Accidit per unum è tribus iſtis diebus, ut perſonati adoleſcentes pro foribus templi, cum tympano & majoribus tibiis, profano tumultu & vociferatione perſtreperent, frementibus qui rem indigniſſimam intuebantur. Inſano ſtrepitu excitatus Regis, & impietatem non ferendam exiſtimans, procurrit ad juvenes, ac benignè primùm orat, ut nè divinum cultum ac populi pietatem interturbent. Repulſus feroci & minaci convicio, vultum cum voce tollit, ac denuntiat, ſe nec minis nec ipſa morte deterrendum, quominus religionis cauſam dignitatémque tueatur. Mox imperioſo nutu tympanotribam ceſſare ac ſilere jubet. Ceſſavit ille ac ſiluit. Juſſit contrà juvenum procaciſſimus tympanotri-

Rarum exemplum patientiæ.

tribam pergere, obstantísque animosè sacerdotis impavidi genæ manum explicitam inflixit. Qui sedato animo ac vultu, genam alteram porrexit. Civitatem universam, quæ Patrem ùt sanctum venerabatur, concussit fama tam gravis injuriæ. Senatoribus è curia Senescalli visum est nequaquam committendum esse ut facinus atrox impunitum abiret. Ergo regiarum causarum patronum, cui nomen *Le Blanc*, ad Rectorem collegii allegant, eíque dant negotium, ut de criminis auctoribus, circumstantiísque, diligenter cognoscat. Is ubi Rectori mandata sibi data exposuit, arcessitus est Regis, qui rem totam, utì gesta fuerat, explicaret. Lib. III.

Subeunti Regius advocatus occurrit, ac docet permolestam accidisse toti curiæ contumeliam, qua fuerat affectus: placere senatoribus, ut reorum supplicio satìs ipsi pro injuria fieret; cúmque publica fuisset contumelia, pœnam quoque publicè persolvendam videri: ideò se missum, ut ex ipso rem totam accuratè cognosceret: ac proinde rogare nè quid celatum vellet, ac præsertim auctores contumeliæ nominaret, quos ipsi notos esse constabat. Cùm Regis ingentes clarissimis magistratibus, ac præcipuè regiarum causarum patrono gratias egisset, respondit neminem esse de quo posset conqueri: hoc uno pacto satisfieri sibi velle, ut nihil suâ causâ moveretur, néve quid in quemquam durius statueretur. Frustrà magistratus distinctius aliquid exsculpere conatus est. Tacere perseveravit, & illatam contumeliam beneficio ac lucro apposuit; simúlque pensatam magna mercede patientiam lætus vidit: nempe auctor injuriæ, paucis diebus interjectis, ejus pedibus affusus, & crimina piè confessus, voluntariâ sancti doloris pœnâ, DEO, servo DEI, populóque illustriùs satisfecit. Sed alia pericula, hostes alii, probandæ & exercendæ viri fortis constantiæ parabantur. Cùm cetera vitia debellaret acriter, tum verò impudicitiam eò vehementiùs insectabatur, quòd eam regnare Anicii, ac pæne triumphare, cerneret. Ut verò belli causas præcideret, investigabat latibula mulierculàrum, quæ captos turpibus illecebris cives in miserrimam servitutem abducebant. Eas ipsas ut melioribus captas illecebris in libertatem virtutis assereret, omni contentione laborabat. *Assiduũ, & acre cum impudicitia bellum gerit.*

Rescivit unam in opificis ædibus delitescere. Urget hominem, ut mulierem ejiciat. Ille verò negat ullam esse domi, séque falso crimine accusari vociferans, urgentem, malè verbis accipit. Tum Regis magna voce, *Cedo*, inquit, *cedo, quam domi tua servas. Novit hoc omnis vicinia, & scelus tuum detestatur.* Opifex,

Lib. III. fex, ùt erat impotens iræ, vocem altiùs tollit, minatúrque vim ultimam, nisì protinus abſcedat. Vir ſanctus, mortalium omnium, cùm agebatur DEI cauſa, confidentiſſimus, ſonum & vultum imperantis induens, *Hominum*, ait, *omnium perditiſſime*, *aut illam reddes lubens*, *aut per vim auferam.* Nec plura effatus, opificem manu correptum trudit foras, irrumpit domum, latentémque prædam abſtrahit, ac deducit ipſe ad matronam lectiſſimam, cujus erudita monitis & conſuetudine, pudicitiæ pariter ac famæ conſuluit. Haud ità multò pòſt reſpexit ſe opifex, & quam peccatis ſociam habuerat, pœnitentiæ ducem magiſtrámque ſecutus eſt.

Haud minùs fortiter quàm feliciter erepta ſceleri mulier hæc fuit: non item altera, quam matrimonio junctam civis libidinoſus, idémque locuples ac præpotens, à viro abduxerat. DEI famulus, re cum marito mulieris deliberata, eóque annuente, illam honeſtâ cuſtodiâ includendam curavit: hoc ſaltèm providens ut populi ſermones offenſionémque compeſceret. Improbus amator, opibus & auctoritate pollens, iſtis duabus machinis, quæ jura omnia vulgò perrumpunt, perfecit ut magiſtratus latâ ſententiâ mulierem cuſtodiâ liberandam edixerit. Torſit ſe in omnes partes actuoſa viri ſancti ſolertia, ut moram aliquam exequendæ ſententiæ impetraret. Inſtantem ſuperbè repulit magiſtratus, ac ratam ſinè ulla cunctatione ſententiam eſſe juſſit.

Affirmavit Regis nihil ſibi unquam gravius hac repulſa contigiſſe. Antequam reciperet ſe in collegium, divertit ad dominum *Dryde* amicum ſuum, & ei quid accidiſſet narravit, identidem in iſtas, præ ſancta indignatione, voces erumpens: *En*, ajebat, *quomodo rationibus & commodis humanis divina ducuntur poſteriora*, *& proculcantur.* His dictis, oppreſſus mœrore ſubitò conticuit. Illum amicus, itémque P. Michael *Charbonier*, Regis ſocius, nitebantur conſolari, cùm dicerent ſatìs magnum operæ pretium ab eo factum fuiſſe, quòd per ipſum ſtetiſſet, nè DEUS per aliquot ſaltèm dies peccato gravi læderetur: neque præmio carituram apud DEUM ſtrenuam ejus voluntatem, & curas ad abrumpendum flagitioſum commercium, licèt irrito incœpto, conſumptas. Dum P. Charbonerius & D. Drydus inter ſe colloquebantur, animadvertunt P. Regis, totum in mœſta cogitatione defixum, parùm attendere ad ea de quibus diſſerebant. Hominem diligentiùs contemplati, viderunt ſedere immobilem, innixum abaco, tacitum, totóque vultu inardeſcentem. E pectore alta ſuſpiria, ex ocu-

oculis uberes lacrymæ prorumpebant. Tandem, redeunte animo, Lib. III. derepente surgit, & manum abaco incutiens, *Ah! ignavum*, exclamat, velut afflatus Numine, *ah meticulosum! Siccine pro nihilo putat quod DEUS offendatur? Antequam circumagatur annus, pœnas ultori DEO dabit.* Funesta Magistratûs, nondum anno vertente, mors veritatem prædictionis comprobavit. Haud minùs asseveranter & verè denuntiavit necem imminentem illustri & juveni feminæ, quam turpibus expedire laqueis frustrà dudum tentaverat. *Nimium diu*, inquit, *urgenti DEO resistis. Moram pervicacem brevì ulciscetur.* Paucis pòst diebus colloquentem cum amasio plumbea glans, è ferreo tubulo per errorem emissa, interemit. Hæc aliáque id genus exitia, quæ à viro sancto prænuntiata fuisse nemo nesciebat, urbem universam perterruerunt. Narrabatur lugubris multorum improborum exitus, qui ad bonam frugem invitanti, & instanti, morem gerere pertinaciter detrectaverant. Hinc plurimorum metus, & ex metu, salus. Neque verò minorem adhibebat curam, ut eos à lapsu prohiberet qui periclitabantur in lubrico; quàm ad erigendos qui jàm lapsi erant. Sic puellæ pauperis, & parentibus orbatæ, at eximiâ formâ præditæ, pudorem admirabili fortitudine, & cujus pauca extant exempla, tutatus est. Hanc civis opulentus promissis illectam seduxerat; jámque locum in quem conveniret, assignaverat. Admonitus Regis accurrit. Impudicum viri sancti præsentia conturbavit: mox tamen ex illa trepidatione recreatus, *Quid istbic negotii tibi est, mi Pater?* inquit. *Multis rebus te admisces, quæ ad te nihil spectant.* *Adsum*, retulit Regis, *ut oviculam hanc servem, quam tu, instar rapacis lupi, DEO eripis.* *Recede Pater*, subjecit libidine atque iracundiâ æstuans. *Si pergis, magno tibi stabit audacia.* Cui pudicitiæ patronus, fortiter ac libere negavit se recessurum, donec virginis pudorem in tuto collocâsset. *Ceterùm*, addidit, *minas tuas nihil moror. Dulce mihi ac decorum arbitrabor, furori tuo immolatum cadere.* Ad hæc furiosus, jam non sui potens, stricto gladio in obvium ruebat. Et Regis, veste ad excipiendum vulnus diloricata, *Præsto sum*, clamat: *nunc tandem datur sanguinem pro Christo fundere. Feri, macta. Quod efficere verbis nequivi, hoc fortasse mea morte consequar, ut peccare desinas.* His verbis, atque adeò interriti vultûs, qui nihil mortale spirabat, constantiâ, cecidit subitò repressus amentis furor. Trepidè se proripuit, dum Regis puellam in securum detulit locum,

Morti se objicit, ut puellæ pudorem in tuto collocet.

Lib. III. ubi vitam innocentissimam duxit; acceptum à DEI servo beneficium immortale prædicans, quem, ùt pudicitiæ suæ oblatum sibi divinitus custodem semper agnovit.

Perditas mulieres innumeras in viã salutis revocat.

Innumeras ex eo genere feminas, quæ venalem pudicitiam vulgant, à P. Regis in viam salutis reductas testati sunt Petrus *le Blanc* Generalis Episcopi Aniciensis Vicarius, & alii complures, quorum legitima testimonia litteris publicis habentur consignata. Scelere ac periculo liberatas dividebat in varias ædes minimè suspectas, ubi essent contra vim & insidias clausæ ac munitæ. Easdem alebat eleemosynis proborum ac liberalitate, quam initio cùm ostiatim corrogaret, vetuit collegii Rector nè faceret, cognitis quorumdam ganeonum jocis, quibus odio & ludibrio caritas Regis erat. Paruit ille quidem: sed quod facere per se se vetabatur, id per administros suæ pietatis & vicarios præstabat. Principiò matrona dives, accepit domi suæ quatuor ex illo feminarum pœnitentium grege, deinde sex, denique decem, adjuvantibus aliquot nobilibus feminis. Cùm autem illa prædiorum suorum ferè omnes fructus, & rem familiarem ad sustentandum hunc numerum conferret: questi sunt cum servo DEI matronæ cognati, & istud onus ab ea depellere studuerunt. Obstitit Regis, & eorum querelas more suo contempsit.

Majorem illi solicitudinem injecit illa ipsa nobilis matrona, quæ pœnitentes mulierculas alebat domi suæ. Hæc facete dotem collegii de se malè meritum existimans, in ipso recentis doloris æstu renuntiavit viro sancto, sibi neque voluntatem præterea, neque facultatem suppetere tectum & alimenta novis istis ac molestis hospitibus ministrandi: onus hoc alteri quàm primùm imponeret: sin minùs, se omnes continuò dimissuram. Hæc denuntiatio P. Joannem Franciscum tantò graviùs conterruit, quantò à perspecta matronæ virtute videbatur alienior. Repentini consilii ac doloris causam introspiciens, *Satisne consentaneum*, inquit, *pietati*, *quam profiteris*, *putas abjicere opus DEI ob injuriam*, *quam tibi ab homine factam suspicaris*, *& ejus pœnas à tot innocentibus animabus repetere? Quo suo tandem merito peccatum à se non admissum luant*? Hæc oratio lepore quodam humanitatis & benevolentiæ condita, vim omnem, quam sperabat, habuit. Collegit se mulier, séque imprudenti dolore parùm fortiter victam confessa, veniam errati postulavit.

Cùm

Cùm agmen iſtud muliebre variis locis ſparſum aliquandiu rebus ad vitam & pietatem neceſſariis inſtruxiſſet; venit illi in mentem univerſas communi tecto claudere. Continuò amici pluribus verbis deterrere conati ſunt, nè rem arduam ſuſciperet. Præter moleſtias & ſolicitudines, quibus novæ familiæ, cùm primùm inſtituuntur, laborant, non defuturos, qui negotium diſturbare conarentur. Sed viros Apoſtolicos, cùm agitur DEI gloria, nulli morantur obices, nulla pericula retardant.

Lib. III. *Domum feminis pœnitentibus recipiendis comparat.*

Regis, explorata crebris precibus DEI voluntate, & implorato Superùm præſidio, ante omnia certiorem de ſuo conſilio Epiſcopum fecit, quo inconſulto nihil aggrediebatur. Expoſuit corruptelam juventutis, per feminas profligatæ pudicitiæ invectam, cum gravi juſtáque populi offenſione & querelâ. Mentem ſibi à DEO, ùt confidebat, injectam fuiſſe, cunctas una claudendi domo, ubi, certis legibus & accuratâ morum diſciplinâ regerentur. Eâ maximè viâ proviſum iri, nè relaberentur in priſtina flagitia, & conſtantiam in ſuſcepto melioris vitæ conſilio tenerent. Præſul optimus, idémque ſua ſponte comparatus ad amplectenda omnia, quæ ad promovendam & fovendam in ſuo grege pietatem pertinerent, laudavit conſilium, séque DEI famulo ad illud exequendum, adjutorem & patronum promiſit. Admonito hunc in modum & conciliato Epiſcopo, Regis de re tota deliberavit cum Petro *le Blanc*, Epiſcopi Vicario Generali, & ſibi amiciſſimo. Ille, conſiderata mali gravitate, ac neceſſitate remedii, mentem viri ſancti vehementer probavit: & quidquid in ſe opis atque auctoritatis foret, eſt pollicitus. His itá cum Epiſcopo & Vicario compoſitis, negotium in vado eſſe videbatur. Eò confidentiùs adiit collegii Rectorem, rogans, ut opus approbaret, illúdque conſiliis ſuis gubernaret. Is erat P. Sebaſtianus *Vineau*, vir ſanè probus, at paulò timidior, & ad omnes difficultatum ſalebras titubans atque adhæreſcens. Tum autem parùm favorabilis ac propitius erat P. Joanni Franciſco, cujus fervido, licèt prudenti, zelo ſæpe ſe in graves metus & anguſtias conjectum fuiſſe meminerat.

Ad primam novi contubernii mentionem expalluit. Negabat id fieri poſſe ſinè perturbatione & querelis totius civitatis; videri ſibi penitùs omittendum opus tam lubricum, tam periculoſum. Fatebatur P. Regis non vacare opus periculo ac difficultate; ſed futurum ſperabat ut faveret piis conatibus divina benignitas, quâ fretus rem tentabat: expertum ſe fuiſſe non ſemel præſen-

Lib. III. sentem DEI tutelam iis adesse, qui omnem suam in eo spem reponerent. Adjecit daturum se operam, ut negotium leniter ac circumspectè, sinè cujusquam querela, sinè perturbatione, & aliis, quæ timeri poterant, incommodis, conficeretur.

Rector collegii ut ista domus, Refugium vulgò dicta, ponatur ægrè annuit.

Quæsivit Rector quænam haberet conficiendæ rei adminicula & adjumenta; quis coëmpturus esset domum; quis novæ familiæ cibaria, quis alia præsidia, suppeditaturus: ubi reperturus esset ipse magistras & gubernatrices, quæ feminas è flagitio recèns emersas in officio continerent. Respondit Pater non dubitare se, quin DEUS, auctor hujus consilii, subministraturus esset omnia, quæ forent illi conficiendo necessaria: paratam & in promptu jam esse civium plurimorum, opibus, & virtute præstantium, liberalitatem, quâ domus emeretur, instrueretur, staretque deinceps ac floreret. Provisas denique magistras & rectrices contubernii, quarum virtus & prudentia nemini veniebat in dubium. Tam liquidæ, tam explicatæ responsioni quod opponeret Rector, nihil habuit. Inficiari operis utilitatem non poterat: sed verebatur nè quid sibi molestiæ ac negotii plerique cives primarii facesserent. Differendam rem igitur in aliud tempus existimavit. *Tam pium opus*, inquit, *deseri omnino nolim, in aliud duntaxat tempus censeo rejiciendum, donec opportunitas exequendi major adsit. Cave nimiùm festines: molles rei conficiendæ vias tempus ipsum aperiet. Præpropera festinatio consilia vel optima corrumpit.*

Docebat contrà Regis magnum esse periculum in mora: vix unquam feliciorem exequendi operis facultatem oblatum iri; probari consilium ab Episcopo ejúsque Vicario; destinatam esse domum, ac pæne certam: plerasque alias dari opportunitates, quarum fiduciâ negotium haud dubiè successurum crederetur. Rector quantumvìs contra DEI servum præventus, facere tamen non potuit, quin laudaret ejus consilium, & approbaret. Parumper adhuc obluctatus, ad extremum cessit, & omnibus quæ proponebantur est assensus. Regis, approbatione sui Rectoris magìs magísque in sententia confirmatus, operi manum admovit, celeritate singulari ac diligentiâ; nec minori prudentiâ. Nobiles æquè ac pias feminas convenit, útque partem curarum ac liberalitatis in tantum conferrent opus, excitavit. Matrona, cujus modò mentionem fecimus, summam pecuniæ non contemnendam statim obtulit, ac facem compluribus aliis prætulit: adeò ut brevì repertum fuerit idoneum domicilio emendo, instruendóque pretium: nec distu-

distulit Regis viginti feminas, quæ se ad bonam frugem recepe- Lib. III. rant, in paratas ædes inferre. Respondebant omnia viri sancti votis: florebat recens contubernium; & in eo pietas, ac disciplinæ custos ordo pulcherrimus, vigebat: cùm hostis animarum faustis initiis invidens, machinas omnes, quibus hoc ædificium subrueret, explicuit.

Libidinosi nebulones, quibus hæc nova familia non arridebat, ejus conditorem aggressi, sparsis in vulgus libellis, ipsum, domúmque Refugii, ab illo institutam, probris omnibus & contumeliis lacerârunt. Nequaquam hoc viro Apostolico novum & improvisum accidit; & is erat, quem improborum odia & molitiones corroborarent potiùs, quàm infringerent: neque illum viles & humani metus unquam ità inflexerant, ut causam Numinis & animarum proderet. Quamobrem perrexit iter institutum tenere, spretis atrocibus istorum maledictis & opprobriis: quorum tamen effrenatus furor hìc non stetit. *Refugiū oppugnatur.*

Rectori suggerunt non aliud hanc domum fore, quàm receptaculum perditarum mulierum, quas nulla ratio, vis nulla posset unquam disciplinæ virtutísque jugo submittere. Ejus contubernii auctorem honestissimo cuique permolestum esse, dum operi temere suscepto subservire collatis nummis obvios quoslibet promiscuè cogebat: palàm immurmurare civitatem, & indignatione liberrima fremere. Hæc illi. Quibus etiam suffragati homines nonnulli Societatis, & à falsis sæculi sapientibus, quos nimiùm audiebant, inducti, Patrem apertè condemnârunt, quòd condendam & sustentandam domum, non provisis antea vectigalibus necessariis, suscepisset.

Hæc à Rectore facilè credita, qui nondum sinistras quasdam opiniones de P. Regis & Refugio penitùs exuerat, & qui pæne invitus de hac familia instituenda consenserat. Eum arcessit ac præcipit, ut istius domûs curam omnem deponat, quam negabat stare posse certis redditibus destitutam. Perculit DEI servum hæc oratio, quæ obicem bene cœptis ineluctabilem afferebat. Re cum DEO deliberatâ, suarum esse partium duxit anniti totis viribus ut Rector mutaret mentem, & edictum triste revocaret: ceteroquin obtemperaturus, si postquam illum accuratiùs edocuisset, in sententia perseveraret. Ergo ipsum adit supplex, profusísque lacrymis orat, ut nè tot animas perire patiatur, quibus certa pernicies imminebat, si Refugii curam abjicere cogeretur. Si quid creabitur huic domui cladis, inquit, ac damni, culpa omnis in superiores recidet,

Lib. III. cidet, in quos ônus hoc transfero, ipsi viderint. Laudavit Rector animum salutis alienæ sitientem: negavit tamen tutum, aut consultum esse, ut prætereà se in procurationem istius domûs interponeret, quam brevì ruituram constabat, non sinè illorum dedecore, qui fabricam malè fundatam & malè materiatam irrito labore fulcirent.

Regis jussus curam Refugii deponere, obsequitur.

Inanes metus discutere frustrà servus DEI tentavit. Surdas aures falsæ prudentiæ strepitus obstruebat. Vetuit Rector nè pedem in Refugium inferret, ac mulieres ibi servatas deinceps alloqueretur, aut minimam hujus negotii attingeret partem, donec idoneos huic tutando contubernio proventus invenisset. Quamvìs opus tanta mole ad culmen ferè perductum hoc præcepto disturbandum, & æquandum solo videretur: nihil tamen objecit Regis; imperium æqui boni consuluit, nec pedem in Refugium posthac intulit. Interim conceptam de divina bonitate spem nequaquam debilitavit negotii pæne desperati durissima conditio; quin potiùs erexit, confirmavítque, adeò ut amicum secretò alloquens, affirmaverit pro certo se habere futurum ùt hæc nova domus, victis quæ ad eam labefactandam conspirare videbantur, difficultatibus, post hæc illustrior emergeret. Hæc enim, inquiebat, operum DEI sors est, ut rebus adversis conflictentur.

Ejus patientiâ exercet Rector & illustrat.

Per idem tempus Rector patientiam servi DEI adhuc duriùs exercuit. Flagrantem studio divinæ gloriæ & salutis animarum ejus ardorem exiguo spatio inclusit: certos dies, quibus nosocomia lustraret, edixit; modum caritatis operibus & limites angustos præscripsit. Neque hoc satis. Cum eo liberiùs & contemptim agere, molestiam ubique, ac veluti deditâ operâ, illi exhibere; objurgare palàm & privatim; nullum denique locum ejus vexandi prætermittere. Ferebat hæc omnia silentio vir patientissimus, neque ulla vexationis acerbitas ab eo vocem querimoniæ, aut justæ defensionis, expressit.

Die festo cùm domum rediret ex aliquot pagis, ubi concionando, & audiendis confessionibus multùm sudaverat, audivit è socio se accusatum fuisse apud Rectorem, qui haud mollem pœnam redeunti parabat imponere. *Novi ego falsitatem accusationis*, adjecit socius, *& apud Rectorem te purgabo.* Rogavit Regis nè faceret, quidquid hoc probri foret intueri se dictitans tanquam pulcherrimam laboris sui mercedem; quæcumque nobis pudorem incutiunt, & aliquam dedecoris inurunt notam, ea divinæ in nos boni-

bonitatis pignora esse certissima ; jam dudum se DEO famæ suæ sacrificium quoddam obtulisse, & ex quo se vocatum ad Euangelicum ministerium intellexisset, jam tum se locum & animum sumpsisse victimæ, hominum insectationibus, maledictis, ac telis omnibus expositæ. Heroicos ejusmodi sensus non imbecillitas naturæ, sed gratiæ potentior vis, & ardentissima caritas, parturire tantùm potest. Lib. III.

Non expers doloris tamen & tristitiæ Regis erat: non suâ quidem causâ, quem accipi tam malè cerneret ; id potiùs triumphabat: sed vicem tot animarum dolebat, quibus subvenire non poterat ; tot pauperum, quos destituere cogebatur. Ità DEUS servum suum evehebat ad perfectæ virtutis fastigium: sic illum sibi conjungebat arctissimè ; ac si qua humani affectus labecula purissimum animi nitorem inficeret, hanc patientiæ salutaris igne perpurgabat.

Oppressus aliquando æstu tenerrimæ caritatis temperare sibi non potuit, quin abjiceret se ad Rectoris pedes, &, *Cernis* inquit, *ad omnia me inutilem esse propter talenti virtutisque inopiam, præterquam ad erudiendos juvandósque pauperes ; id unum restare mibi quod agam, & quo meam tenuitatem consoler: obsecro te igitur atque obtestor per viscera misericordiæ Christi, ut respicias tot pauperes, tot animas derelictas, quæ meam opem implorant.* His precibus, hac suavissima obtestatione, nihil profecit aliud, quàm ut objurgaretur ejus præceps & parùm prudens impetus, indocilis contineri, & frena domesticæ disciplinæ pati. Ad hæc nè mutire quidem visus, continuit se domi, neque ut confessiones exciperet, ægrotos viseret, pauperes erudiret, nisi diebus horísque præscriptis, adduci potuit.

Tandem aliquando huic vexationi finem DEUS imposuit, & servi sui vota expectationémque superavit. Mutatus repentè Rector, erratum agnovit: nimiùm duriter & acerbè actum cum illo, & auditas à se faciliùs nonnullorum criminationes, ultro est confessus, eundémque amantissimè amplexatus, liberrimam pristinarum functionum potestatem fecit, quippe quem à divino gubernari spiritu intelligeret, haberétque persuasum nihil fieri consultiùs posse, quàm si permitteretur ipse sibi, vel potiùs cælesti prudentiæ, cujus lumen ductúmque sequebatur. Accessit aliud ad consolandum tutandúmque DEI famulum efficacius. Metuendum erat nè Rector, homo parùm fortis & constans, in pristinas suspiciones revolveretur.

Lib. III. tur. Itaque singulari Numinis providentiâ factum est ut præter omnium expectationem Bliteras missus, acciperet successorem P. Ignatium *Arnoux* longè illi dissimilem, sive prudentiam, sive virtutem spectares. Novus Rector, Patrem Regis pridem admirari solitus, ejus consiliis tam prolixè favit, quàm ejus antecessor iisdem obnixè adversatus erat; útque bene cœpta denuo, ac totis viribus promoveret hortatus est. Illo ipso die earum pœnitentium feminarum gregem revisit: quæ reducem pastorem incredibili gaudio exceperunt. Primus labor extitit in conquirendis vectigalibus. Eò certatim operam & opus civitas contulit, ac divitum crumenæ sua sponte patuerunt. Paucis mensibus annui redditus ad alendum certum numerum sunt inventi. Aucta civium liberalitate auctus est numerus, & ad triginta fuerunt acceptæ. Excitatus tam felici progressu Pater, de ultima operi manu imponenda, eóque suis omnibus numeris absolvendo, cogitavit: conscripsit leges; pietatis exercitationibus, labori, & quieti, ceterísque occupationibus, suum tempus, & modum, definivit.

Refugii curam resumit, eique ultimam imponit manum.

Antequam ad hibernas Missiones proficisceretur, domestica Refugii negotia componebat. Singulas hortabatur ad præstandam sedulò suis Rectricibus obedientiam: istis verò vigilantiam & solicitudinem commendans, easdem peculiaribus quibusdam, ut familiam sibi creditam rectè administrarent, monitis instruebat; inprimis autem præcipiebat ut singulis hebdomadis, dum abesset, facerent se de statu domus certiorem. Reperta est post ejus obitum scheda, quam ad Refugii præpositam scribebat in hæc verba: *Carissima Soror. Sic habeto, me inter gravissimas occupationes meas quotidie tui ac filiarum tuarum memorem apud DEUM esse. Salvere singulas meis verbis jube, illisque omnino persuade, me ipsis ac tibi nominatim, esse penitùs deditum. Accepi summa cum voluptate ipsas pacis, concordiæ, legúmque domesticarum esse observantissimas. Perge omnia diligenter ad me perscribere.* Quantum his curis vir sanctus proficeret, documento erant plurimæ ex istis feminis, quæ peculiari gratiæ cœlestis auxilio roboratæ, superioris vitæ noxas vero dolore omnibúsque Christianæ pœnitentiæ officiis expiabant.

Florebat, ùt cùm maximè, Refugium, ejúsque conditor ingentem hauriebat animo voluptatem, procedere opus, & majora in dies capere incrementa cernens: plaudebant omnes boni, & ei, ovantes gratulantésque, gratias agebant: cùm tempestas repentina

na ſpes lætiſſimas propemodum evertit. Juvat, quæ cauſæ pro- Lib. III.
cellam hanc moverint, & quo vultu animóque mortem cominus intentatam vir Apoſtolicus laceſſiverit, paulò enucleatiùs aperire.

Hora poſt meridiem ſeptima fluebat, cùm ſubitus ad eum nuntius advolat perditorum juvenum catervam ad expugnandum Refugium concurrere, ac foribus disjectis, id agere ut mulieres vindicent in libertatem, imò domum ipſam in cineres redigant. Attonitus ferali nuntio ſupplex à Rectore petit, ſibi ut per eum liceat miſero gregi opem ferre. Cui Rector: *Túne ſolus, mi Pater, ſuſtineas impetum tot juvenum, quos amentia præcipites rapit?* Et Regis: *Stabo*, inquit, *pro foribus, nec eorum quiſquam, niſi per me cæſum & calcatum, introibit: certum eſt perire priùs, quàm tot animarum ſalutem, fidei ac tutelæ meæ creditam, deſerere.* Rector, cui notus Regis animus omni metu & periculo major, ac timens nè pio abreptus impetu longiùs prodiret, negabat prudentis eſſe inferri ſic inermem & imparatum in medios hoſtes, qui occaſionem hanc ſibi oblatam gauderent ſui furoris in eum expromendi: ſi quid accideret adverſi, non dubitaturos homines culpam omnem in ejus imprudentiam conjicere. Ubi dubium Rectorem hærere vidit Regis, nec locum eſſe cunctationi tantò in diſcrimine, inſtare pergit: *Poſſúmne*, inquiebat, *ſedere hìc lentus & ceſſare, dum tandiu tot poſita laboribus domus ſcelere iſtorum ganeonum momento deſtruitur?*

Refugiū tutari, etiam propoſito periculo vitæ, parat.

Obſtare contrà pergebat Rector, neque committendum ajebat ut diſſolutorum adoleſcentum furori caput objicere ſineretur; ſibi tribuendum uni, ſi quid in eum auderet illorum impotentia. *Neque ſuſtinere culpam times*, ſubjecit Regis, *tot pereuntium animarum, quarum ſalus in dubium vocatur? Patieriſne deſtrui opus DEI, nè quid periculi ſubeat homuncio, qualis ego ſum? Quid evenire mihi glorioſius poteſt, quàm datâ occaſione tam præclarâ, mortem oppetere?* Ulteriùs obſiſtere non potuit Rector viro ſancto, atque adeò divino, quo erat animatus, ſpiritui. Tum autem ſperabat fore ut ejus aſpectus, auctoritas, & fama quodcumque inſtaret periculi, facilè propulſaret. *Ito*, inquit, *perge, quò DEUS, quo tua te pietas, vocat.*

Regis omnem vitæ ſuæ curam in DEUM projiciens, evolat tanquam ad certam necem. Egrediens collegio incidit in P. Antonium de *Mangeon*, eúmque rogavit, ut ſi quid ſibi accideret, aliquantum pecuniæ, quod apud collegii procuratorem depoſuerat,

Lib. III. iſtis miſeris mulieribus diſtribueret. *Id mihi negotii dedit*, inquit P. Mangeon, in ſuo de rebus illius geſtis commentario, *quia certam ſibi mortem imminere judicabat vixque ſui, præ gaudio compos erat.* Verùm DEUS voluntate ſervi ſui contentus, tempeſtatem ſedavit. Paulùm in vico progreſſus audit fugatam ac diſſipatam juvenum catervam, concurrentibus ad mulierum clamores & planctus è vicinia civibus. In collegium revertenti occurrit P. Mangeonus, &, *Nempe*, inquit ſubridens, *ad martyrium properare te credidiſti: certè teſtamentum rite feceras.*

Procellam hanc malaciæ ſecuturæ omen interpretatus Chriſti famulus, opinione ſua falſus non eſt. Non modò nihil deinceps contra Refugium perturbationis excitatum fuit ac periculi, verùm etiam ſtabilitum, & ſuis omnibus expletum numeris, in dies magìs viguit, hodiéque, tanquam æternum ad poſteros monumentum ejus caritatis, induſtriæ & fortitudinis, efflorefcit. Sub annum 1651. decem poſt ipſius obitum annis adminiſtratio domus commiſſa eſt religioſis virginibus, cúmque anguſta eſſet multitudini feminarum ad hoc aſylum pudicitiæ confugientium, inſtituta eſt altera domus, ejuſdem, ac prior illa, formæ atque utilitatis; adeò ut parens & conditor utriuſque domicilii dici meritò Regis poſſit.

Dum pax & otium Refugio conſtabat, non continuò quies erat Beato viro ab innumeris hoſtibus, quos in illum armabat indefeſſa in mulieribus à libidine revocandis diligentia. Quæ prælia cum iſtis commiſerit hoſtibus, quæ trophea retulerit, quia ſingula enumerare non vacat, illuſtriora duntaxat aliqua recenſebimus. Puella elegantis formæ, elegantioris ingenii, graviſſimas inferebat clades univerſæ civitati. Monendam privatim curavit Regis, pro ſua prudentia, deinde ſpretis monitis, duriùs objurgandam. Cùm nè ſic quidem reſipiſceret, adeſt ipſe demum, & victrici fortitudine ac ſuavitate ſic pugnat, ut expugnaverit. Victa, receptui cecinit, séque ſponte pœnitentiâ, tenebris, & ſolitudine, damnavit. At victorem hæc victoria propemodum oppreſſit. Qui puellâ nimiùm familiariter utebantur, inexpectata mutatione perculſi, de illius auctore perdendo conjurârunt. Prodeuntem ex ædibus S. Agathæ, ad Orphanorum domicilium, invadunt quatuor furioſi, tótque plagis malè multant ut mortuum rati, accurrente populo, diffugerint. Cognitum fuit è civibus, qui barbaro ſpectaculo interfuerant, conſpectum à ſe DEI ſervum jacentem humi, ſublatis in cælum oculis & manibus, excipere duram plagarum grandinem, &

Dum peccantes à vitio revocat, gravia improborum odia, & opprobria, ſuſtinet. Ejus heroica fortitudo.

Malè multatur. Inſidiæ ſtruuntur ejus vitæ.

& pro percutientibus orare. Contusus verberibus, & vix assurgens, majore animo, majori fiducia divinæ tutelæ, ad pretiosa pericula revolavit. Lib. III.

Aliàs cùm ad excipiendam moribundi confessionem pergeret, obvios habuit aliquot nebulones, quorum scelerata consilia disturbaverat, ad inferendam ipsi necem accinctos. Ultro se obtulit venientibus, & familiari atque innata humanitate: *Adsum*, inquit, *quem quæritis, paratus pro Christo mori. Conficite: nihil vos moror, nihil malim.* Mirùm! Vix hæc ediderat, hæserunt metu ac stupòre defixi, & resupini omnes conciderunt: ipse domum interim, quò vocabatur, incolumis tenuit. Haud scio an quisquam unquam in præsentiore mortis periculo versatus sit. Sed illum DEUS providentiæ suæ tutissimo scuto protegebat, ad ejus custodiam tantò intentiore cura excubans, quantò minorem ipse curam sui gerebat.

Alapâ percutitur.

Audivit aliquando seductam ab adolescente virginem in ejusdem adolescentis ædibus delitescere. Non destitit in omnes quodammodo formas se vertere, donec turpia exosam vincula in Refugium perduceret. Paucis pòst diebus impudicus assertorem pudicitiæ nactus in medio foro, conviciis illiberalibus & probris onerat; tum odio ac furore incensus vultum porrectâ palmâ ferit. *En tibi alteram genam*, retulit placidè ac sui compos vir sanctus: *dignus sum, in quem hæc dicas & facias; dignissimus magister meus ac Dominus Christus, cujus causâ hæc feram.* DEUS in ipso temporis articulo meliorem adolescenti mentem injecit. Stetit aliquandiu conturbatus, & voce captus. Postremò advolutus sancti sacerdotis pedibus, veniam multo cum fletu rogavit, ac promisit nunquam se commissurum, ut debitam ejus virtuti venerationem violaret. Addidit se paratissimum esse ad pœnam, quamcumque præciperet, luendam, séque ultorem sui criminis primarium, nec mollem, futurum. Hæsit illi verò gravitas culpæ tam altè in animo insculpta, ut cùm post aliquot annos cognovisset DEI servum vitâ cessisse Lalovesci, denuo sceleris imagine perterritus non conquieverit, donec se ad ejus tumulum conferret, patronum in eo quæsiturus, quem tam insigni contumeliâ læserat. Abjecit se ante sacros cineres supplex, ibíque diem integrum pervigilavit, lacrymarum vim profundens, iísque culpam eluere gestiens, quam sanguine suo delere peroptâsset. Nunquam verò intermisit, dum superfuit vita, semel quotannis sancti sepulcrum venerabundus visere, ut

Lib. III. ut illatam ipsi olim ignominiam repetitâ & solemni honoris professione sarciret.

Pessimè verbis & verberibus accipitur.

En aliud adhuc illustrius heroicæ servi DEI constantiæ documentum. Adolescens nobilis, adolescentulam pariter nobilem, cujus mores P. Joannes Franciscus regebat, frequentioribus urbanitatis officiis colebat, quàm ut vacare utriusque periculo assiduitas tanta posset. Persuasit Virgini Regis ut missum faceret adolescentem, ejúsque officia & urbanitatem benignè respueret. Ille verò sic exarsit dolore, ut oblatum sibi in obscura & devia urbis regione auctorem molesti consilii, primùm verbis & conviciis, deinde verberibus humi dejectum pessimè acceperit. Indignum facinus tulit Christi famulus æquitate animi summa, ipsiúsque vicem dolentibus respondit: nihil hoc quidem esse præ aliis, quæ divinæ gloriæ causa pati vellet. Tum festivè adjecit: *Sanè, ùt est juvenis ferox, & iræ impotens, non putabam me tam leniter ac perfunctoriè tractandum.* Omnino credi vix posset quantò ejus odio flagrarent improbi, & quousque illorum furor processerit, nisì quæ narrantur locupletissimorum testium fide niterentur. In eum velut effusis habenis ruebant ubique præcipites; nullus jam conviciis, opprobriis, contumeliis, & plagis modus. Fuere qui Bacchanalibus personati urbem obirent, imitantes ejus vocem, incessum, gestum, & habitum concionantis. Quod ubi rescivit, *Ne isti probè me nôrunt*, ait, *qui hominem ridiculum tam bene, tam ridiculè, sint imitati. Hoc saltem proficiam apud populum, quòd risum illi moveam.* Nimirum vir sanctus æquè apponebat lucro & DEUM à contemptu offensáque vindicare, & sui contemptum libentissimè tolerare. Addo aliud hujus tolerantiæ exemplum, & quidem luculentum.

Contumeliis & injuriis atrociter obruitur.

Nebulonum grex quo majorem haberet ejus irridendi pulsandíque facultatem, ipsum curavit evocandum intempestâ nocte, quasi ad excipiendam moribundi confessionem. Prodit confestim & præeuntes, ùt putabat, ad moribundum, sequitur. Diu circumductus per implexas viarum ambages, per ignotos viculorum & compitorum anfractus, postquam in ampliori platea constitit, tollunt immanes cachinnos, & sannis petulantibus, proletariis jocis, atrocibus contumeliis, omni ludibriorum genere nec opinantem adoriuntur. Alii amentem & stolidum clamitare; alii cubitis impactis huc atque illuc protrudere; alii pugnos in ventrem & pectus ingerere; alii vultum & vestes cœno deformare. Christi famu-

famulus nocturnæ hujus tragœdiæ præsens ac triste argumentum, Lib. III.
inter varios ejus actus velut intercalare Pauli Apostoli verbum lætus concinebat: *Nos stulti propter Christum.* * Vicit Beati viri patientia proterviam impiorum, & expectationem elusit. Id agebant nimirum, id moliebantur, ut victus tædio tot incommodorum, quiesceret aliquando, & ipsis molestus esse desineret: ignari scilicet zelum Apostolicum flammæ esse persimilem, quæ, quò validiore vento jactatur, eò vehementiùs inardescit. Quamvis à falsis ejusmodi monitoribus decepta sæpe P. Regis caritas fuisset, nocturnámque morientibus & ægrotis operam cum suo gravi damno periculóque præstaret; nunquam tamen officium pietatis tam utile vel omisit penitùs, vel negligentiùs exercuit; bene redemptam quolibet suo periculo putans opem quamcumque morienti vel ægroto ferre posset.

* *1. Cor. 4.*

Infinitus sim, enumerare si velim quàm sæpe insectantium malitiam ejus patientia vicerit. Simile portenti visum est tot hostium in se conjuratorum vim ac tela effugere potuisse: at profectò portenti non minoris locò ducendum, quòd tot inter hostes, in tanta sævientium immanitate, tam atrocibus contumeliis appetitus, tam malè verbis & verberibus acceptus, nullam tamen daret significationem impatientis animi, aut stomachosi ac tetrici; imò nè vocem quidem questûs & mœroris ederet. Miserabatur adversariorum cæcitatem, infelicitatem deplorabat, excusâbat furorem, sequestrum se pro illis ac deprecatorem apud superos præbebat; DEUM ipsis, ipsos DEO conciliare, nec irrito semper labore, conabatur; omnibus amicitiæ officiis prosequebatur, quos sibi præ ceteris infensos & inimicos experiebatur. His armis, hac patientiâ & mansuetudine, quidquid piis ejus conatibus obstiterat, felicissimè hactenus superaverat: Refugium optimè constitutum stabat: vigebat in eo pax & disciplina sanctissimis adstricta legibus; concordia, & pietas, in omnes civitatis ordines per eum inducta frenum licentiæ, & vitio pudorem injecerant: videbatúrque vir Apostolicus, quocumque avida gloriæ divinæ vota extenderet, eò pervenire nullo negotio, superis juvare pergentibus, posse; cùm nova tempestas huic serenitati teterrimam caliginem offudit.

Quid egerint improbi ut eum Anicio pellerent.

Hostes pudicitiæ, quorum repressus potiùs, quàm omnino domitus furor, cùm cernerent se consequi nullo pacto posse, ut ejus famam calumniis obscurarent, patientiam fatigarent ærumnis; fortitudinem contumeliis frangerent; breviorem excogitârunt vi-

 am

Lib. III. am ut molestissimum excuterent hominem, & Anicio exterminarent. Id autem non palàm & aperta vi, sed per cuniculos, & clàm ità sunt aggressi. Homines Societatis in ipsum armare ac stimulare constituunt, quorum videlicet manu graviùs certiúsque ferirentur. Ergo Patres quosdam collegii conveniunt sibi notos, at quibus ipsi non sàtis erant cogniti, & graviter de P. Regis conqueruntur, quem præpostero pietatis studio intemperantiùs abripi ultra omnes prudentiæ metas criminantur. *Admiscet se, inquiunt alienis negotiis; arcana familiarum introspicere gestit, earúmque pacem perturbat. Invehitur promiscuè in omnes, & honestissimum quemque in satyricis concionibus vellicat, ac tetris coloribus descriptum proponit. Idem, præ mentis imbecillitate, credulus, & somniantis mulierculæ deliria audiens, litem intentat lectissimis feminis & earum famæ notam turpitudinis inurit. E floribus purissimis ducit venena, & omnia pejorem accipiens in partem, ac depravatam imaginandi vim in consilium adhibens, innocentissima mutuæ urbanitatis officia, & colloquia, sceleribus annumerat. Mirantur omnes, vobis videntibus hæc peccari ab uno è vestris Fratribus, necdum remedii quidquam huic malo allatum esse: istas sibi partes sumet civitas universa, & in totum collegium justa præcipuarum familiarum indignatio erumpet. Illi ipsi, qui se societatis vestræ studiosos profitentur, inertiæ vos accusant, qui tandiu feratis hominem, à sensu communi & prudentia malè instructum, arrogare sibi munus & auctoritatem sacræ Inquisitionis, in vestigandis feminis peccantibus: patrociniúmque illarum suscipere, quæ cùm è publicato pudore suo quæstum ampliùs facere nequeant, per eum invenère, quemadmodum publico sumptu alerentur. Haccine tandem occupatio, hæc famosi domicilii administratio, sacerdotem Societatis decet? si vestris in superioribus sàtis animi & opis non est, ut peccantem emendent & coërceant; hortatur illos certè caritas, ut fratrem suum ab hominum oculis procul amoveant, qui seriùs ocyùs inimicorum furori justo immolatus cadet. Quippe si hæc impunè ferre pergetis, & abuti civitatis patientiâ, denuntiamus vobis non defuturos, qui pœnas ipsimet ab insano ardelione, quas dignum est, repetant.*

Hæc isti, & eorum gregales, cùm ad incutiendum terrorem vociferari non cessarent, conturbati Patres querelis tot civium, quorum etiam aliqui numerabantur inter amicos Societatis, auctores fuerunt Rectori collegii, ut ageret cum Provinciali de amovendo P. Re-

P. Regis, ut Anicio discedens, hominum odia, quæ in ipsum, & ejus causâ, in Societatem, exarserant, placaret. *Inficiari non possumus*, inquiebant, *quin ejus mens optima sit, quin ipse verè sit sanctus; at negare nemo potest, quin oblitus modi feratur interdum longiùs, quàm prudentiæ lex patiatur. Utilis aliquibus privatim, omnibus universè nocet. Multos abalienavit, multos offendit; plurimi etiam ultionem, quæcumque potest excogitari durissima, meditantur: magna pars vulneris, quo ferietur, in totum corpus redundabit. Neque nos tamen damnum Societatis ullum moveret, si gloria Numinis ageretur, sed animum nobis non inducimus valere ad illustrandam DEI gloriam posse ardorem pietatis, normâ prudentiæ destitutum, unde offensio probis, periculum necis uni è nostris fratribus, damnum collegio & Societati gravissimum, oriatur.* Lib. III.

Hæc omnia erant apertiora, quàm ut latere DEI servum possent. Sanè parùm laborabat, quid de se jactarent aut sentirent improbi, quorum non modò sermones & judicia contemnere jam pridem assueverat; verùm etiam censuram & opprobria laudi ducere; amplum sibi existimans, quòd *dignus haberetur pro nomine JESU contumeliam pati.* * At cùm suorum quoque fratrum arma in se conversa vidit, confessus est nullum unquam sibi certamen durius propositum fuisse. *Si mihi cum vitiis tantùm*, ajebat, *& vitiosis hominibus dimicandum esset, gratularer & gauderem: nunc verò mihi cum ipsâ virtute certandum est.*

* *Actor. 5.*

Non tamen animo concidit: divinis præsidiis tanto certiùs fidens, quantò minùs humana suppetebant. Quin, ipsum Rectorem ut adiret, eíque se purgaret, adduci non potuit. *Spem*, inquiebat, *meam omnem in DEO collocavi: ipsi meæ famæ curam permitto. Quid expediat gloriæ suæ novit. Serviat ejus bonori mea fama, & vita: utramque illi pridem devovi; meámque sortem beatissimam arbitrarer, si ejus augere gloriam meæ gloriæ ac vitæ jacturâ possem.*

Quàm forti animo procellam hanc tulerit.

DEUS, id unum spectans ut servi sui virtutem ab omni vel levissimo nævo purgaret, illi defensorem paraverat in eo ipso, qui acerrimus eidem adversarius destinabatur. Is erat P. Ignatius Arnoux, collegii Rector, homo limati, si quis alius, judicii, & cui P. Regis erat exploratissimus. Auditis quæ de illo circumferebantur, opinionem de virtute sancti viri dudum animo impressam non exuit. Perpendit etiam causas, quibus obtrectatores incita-

Lib. III. bantur. Neque illud ignorare poterat, antecessorem suum ab iis inductum in fraudem, errorem demum agnovisse. His impulsus, patrocinium Regis apertè suscepit. Et quoniam ejus inimici prædicaverant ab hominibus ipsis Societatis condemnari temeritatis ardorem illum incensum, & aviditatem quâ ferebatur ad opera pietatis, Rector eundem & in urbe, & in collegio summis laudibus ornavit. Hortatus etiam est, multis audientibus, ut Apostolicas functiones obire pergeret, séque fautorem, ad suscipienda quæ constitueret pro salute proximorum, & adjutorem ad exequenda, promisit. Præterea privatim allocutus singulos Patres, qui præ ceteris Beatum virum oppugnaverant, illis renuntiavit, nequaquam se Provincialem interpellaturum de P. Joanne Francisco ab urbe removendo: nefas esse spoliare Anicium excellenti operario, & collegium virtutis exemplo non vulgari. Virum esse sanctum, qui nullo modo sua, omnibus verò modis ea quæ DEI sunt, quæreret; qui nihil haberet propositum aliud, quàm salutem proximorum; cujus acer & experrectus ad gloriam DEI promovendam ardor finibus Christianæ sapientiæ circumscriptus esset; qui denique nihil, inconsulto DEO & Superioribus, aggrederetur. Non audienda quæ de illo jactarentur ab hominibus eam ob causam infestis, quia capitales cum ipsorum vitiis inimicitias exercebat.

Ejus patrocinium collegii Rector suscipit; præsertim apud Præpositum Generalem.

Hæc fortis æquè ac sapiens Rectoris oratio sinistras Patribus opiniones, quibus contra DEI servum erant occupati, eripuit: factum sibi ab improbis fucum agnoverunt. Nihilominus quia minimè dubitabat, quin eorum aliqui tentâssent Præposito Generali persuadere, quæ sibi ipsis perperam persuaserant, ad eum scripsit exeunte Februario anni 1639. hunc in modum.

Reverende admodum Pater. Non dubito quin minùs commodè ad Paternitatem vestram nonnulli scribant de P. Regis, déque illius præcipiti, ùt ajunt, ac temerario zelo. Rogo illam ut nè se decipi patiatur falsis coloribus, quibus depingi vir iste sanctus posset; habeátque pro certo indefessum esse operarium, divinam gloriam unicè anhelantem. Bellum vitiis indicit Apostolicâ fortitudine, neque ullo respectu humano retardatur quò minùs ministerii sui munia strenuè ac palàm exequatur. Id unum causæ fuit cur illum sibi vexandum sumpserint plerique publicis flagitiis infames, imò etiam Patres aliquot collegii, clamoribus, querelis publicis, minisque istorum sceleratorum conturbati. Ego verò confirmare verè possum, nihil à me in eo deprehendi, quod quis meritò re-

pre-

prehendat; multas contrà virtutes egregias observari, quas nemo non meritissimò laudet. In hoc autem bello quod cum sceleribus ad publicam offensionem & pestem grassantibus, suscipit, ità se gerit, ut peccata quidem acriter insectetur, peccantibus verò parcat; eósque cum omni lenitate, prudentia & caritate corripiat. Illum probi omnes ùt sanctum venerantur. Elementa doctrinæ Christianæ explicat in æde S. Petri eo plausu, quem verbis consequi vix quisquam possit. Illud præcipuâ laude & gratulatione dignum, quòd ejus conciones infinitis morum mutationibus, & vitiorum publicâ emendatione, commendantur. Ceterùm, addebat Rector, *in tanto successu, cui sensum aliquem inanis gloriæ obrepere proclive esset, nemo religiosæ humilitati magìs deditus est, nemo demissiùs de se sentit. Humilitatem adæquat obedientia, in qua sic excellit, nihil ut gerat, nihil aggrediatur, nisì de sententia superiorum, è quorum nutu totus pendet.* Lib. III.

Adeò satisfecit Præposito Generali Rectoris testimonium de virtute P. Joannis Francisci, ut Patribus Aniciensibus gratulatus fuerit, quòd inter ipsos tam strenuus, tam sanctu minister Euangelii versaretur. Provincialis, ad quem suas etiam querelas Patres, parùm initio Christi famulo propitii detulerant, suarum quoque partium esse judicavit certiorem facere Præpositum Generalem de prudentia P. Regis in tractandis animarum causis, déque singulari fructu, quem ex Euangelico labore colligebat. Litteris Provincialis dies adscriptus est pridie Id. Augusti, 1638. & quintus Kal. Octobres 1639. Illarum summa hæc erat. Patrem Regis inter omnes Socios Anicienses, ob eximias virtutes, præcipuam laudem mereri: Missionarium esse admirabilem, indefessi, & inexhausti zeli; vitam ducere prorsus Euangelio consentaneam; totum in officiis caritatis, in adjuvandis pauperibus, sublevandis ægrotis, excipiendis confessionibus, adducendis ad bonam frugem improbis, explicanda pueris & populo doctrina Christiana, in S. Petri, & collegii templo, concursu fructúque incredibili.

Provincia Præpositus Romam scribit de P. Regis, summa cum laude.

Præpositus Generalis Provinciali rescribens, jubet illum renuntiare Patri Regis, probari sibi vehementer zelum ipsius Apostolicum, ac nominatim operam, quam assiduè ponebat in exponenda populo doctrina Christiana: precari se Deum, ut similes ipsi quàm plurimos operarios Societati largiatur. Primarii Patres collegii litteras pariter ad Præpositum Generalem dederunt, in quibus ardentissimum P. Regis ad gloriam Divinam & animarum sa-

Lib. III. lutem procurandam studium, multa cum laude & admiratione, commendabant. Sed nihil DEI servum in rebus adversis, & sævis conatibus improborum, suaviùs consolabatur, nihil tam assiduæ vexationis acerbitatem æquè mitigabat, atque uberrimus fructus, quem inter istos tribulos, DEO faustos labores fortunante, decerpebat. Complures oculati testes, atque in iis Episcopi Vicarius Generalis, multi Canonici, multi civitatis parochi, legitimè confirmârunt in Actis Canonizationis, inductam ab eo novam pietatis formam in Ecclesiam Aniciensem; ejus heroicam fortitudinem, diligentiam, & patientiam eo successu remuneratam, qui omnium expectationem superaverit: multitudinem hominum innumerabilem cujuscumque conditionis & ætatis è *peccati servitute* in *libertatem justitiæ* ab eo vindicatam; purgatam impudicitiæ luem, quæ urbem hactenus fœdè commaculaverat; ingentem numerum perditarum feminarum è cœno libidinis eductum; nec pauciores virgines, à jacturæ innocentiæ facienda, prohibitas: castigatam cleri solutioris licentiam, & sanctioris disciplinæ vinculis adstrictam: revocatas multis in cœnobiis pristinas Instituti veteris leges, quas incuria & desidia laxaverant: exterminatam impiè jurandi consuetudinem, quæ jus quoddam possessionis sibi arrogaverat; restitutum frequentem sacramentorum usum propè obsoletum & antiquatum; depulsam à pueris inscitiam, constitutum ordinem in familiis; civium adeò immutatos mores, ut quæ gravissimis vitiis laborabat civitas, iis feliciter persanatis, inter sanctissimas regni urbes numeraretur: adeò dissimilis illi, quæ tum erat, cùm primum in ea concionari cœpit, ut vix eadem esse agnosceretur; & qui recentem ejus faciem, à pristina tam diversam intuebantur, vix oculis ipsi suis crederent. Hæc omnia, ùt modo sunt à me singillatim narrata, sic totidem pæne verbis recitantur in Actis Canonizationis, audita de testibus qui viderant ipsimet quæcumque pro testimonio affirmabant.

Res ad fructum animarũ bene ac feliciter Aniciige-sta. Eum civitas ùt sanctum veneratur.

His adjungunt iidem testes, illum ab omnibus, ùt virum sanctum, in pretio & honore habitum; eos à quibus immanissimè vexatus fuisset, tot virtutum luce perstrictos, & victos ejus moderatione, verso in venerationem odio, è contemptoribus admiratores, è vexatoribus & obtrectatoribus laudatores evasisse: conjectis in eum falsis criminibus & calumniis præclaram hominum de illo existimationem nunquam exolevisse; patientiam verò contumeliis & opprobriis illustratam.

Non parùm celebritatis addebant ejus nomini peculiaria cæli dona, quibus ejus ſanctimoniam DEUS tunc maximè ornabat, cùm eam obſcurare ac deprimere ſcelerati contendebant. Ut enim omittam ſanationes morborum prodigioſas, de quibus antea meminimus, ſæpe animo velut à corpore peregrinante, in rerum cæleſtium cogitationem altiſſimam rapiebatur, modò inter precandum, modò inter divina myſteria celebranda. Idem arcanos mentium pervidebat receſſus, & futura prædicebat. Illuſtriora quædam ejuſmodi donorum exempla, quoniam omnibus commemorandis locus non eſt, delibare ſatis erit; hinc divinam licebit laudare bonitatem, quæ ſervos ſuos, noſtris etiam temporibus, miris nobilitare modis gaudet.

Lib. III.

Sæpe in mentis exceſſum rapitur.

Animorũ ſenſus arcanos introſpicit.

Jacobus *Jacmon*, inſignis medicus Anicienſis, pro teſtimonio juratus aſſeruit, intimos animi ſui ſinus à Beato viro divina luce colluſtrato, fuiſſe perſpectos: eundem multa quæ poſtea ſibi contigerant prænuntiâſſe. Tres illi protervi & libidinoſi juvenes qui de ipſo, ùt diximus, necando conſpiraverant, & quorum ſceleratam mentem, DEO monſtrante, cognoverat, teſtati ſæpe ſunt neminem conſilii ſui fuiſſe conſcium, neque ſigni quidquam ſe dediſſe, unde illud cognoſci potuiſſet, cùm ipſos vir ſanctus ità eſt allocutus; *Scio quid agatis: de meą nece conjurâſtis; ſed ei, quem DEUS tuetur, nihil eſt metuendum.*

Alium, ſimile facinus meditantem, repreſſit his verbis. *Novi quid conſilii ceperis. Sed animum tuum ità DEUS immutabit, ut quem tanquam hoſtem nunc intueris, in amicorum numero habeas, & quem odiſti modò peſſimè, diligas.* Paucis pòſt diebus juvenis, ſanctiorem vitam amplexus, regendum ſe DEI ſervo tradidit.

Prophetiæ donum adeò ipſi familiare atque uſitatum erat, ut futura conſpicere non ſecùs videretur, ac ſi præ oculis fuiſſent. Mater fortunas filii bene conſtituere percupiens, eúmque in ampliſſimo dignitatis gradu, cujus opportunitatem oblatam ſibi gratulabatur, collocare ſummo ſtudio laborans, negótium precibus P. Joannis Franciſci commendavit. At ille: *Quid attinet*, ait, *tam anxiè ſollicitam te eſſe de fortunis filii, cujus vita tam anguſto ſpatio debet eſſe definita.* Aliquot menſibus interjectis ille filius, ſpes ac deliciæ parentis, tam ſubitâ, quàm improvisâ, morte de medio ſublatus eſt. Altera mater funeſtam filii ſortem lugere non ceſſabat, qui damnatus ultimo ſupplicio, propediem rapiendus ad patibulum dicebatur. Solatium aliquod dolori ſuo quærens, venit

Prophetiæ dono futura proſpicit ac prædicit.

Lib. III. ad Patrem Regis, asylum commune miserorum. Cui Pater: *Noli de filii corpore magis, quàm de anima laborare. Hominum judicia eripere corpori vitam possunt: DEI judicia corpus & animam exitio mactare sempiterno possunt.*

His dictis paulùm conticuit; mox, ore læto; *Jubeo te*, inquit, *bono animo esse; filius tuus in patibulo non morietur.* Quamvis prædictioni fidem omnia derogare viderentur, quin tamen illi constatura fides esset, mater minimè dubitavit; adeò nescio quid divinum in dicentis vultu suspexerat! Paucis pòst horis audit filium fuisse perductum in plateam plectendis facinorosis destinatam; ibi fixum in patibulo, cúmque mortuus putaretur, refixum à sodalibus Agonizantium sodalitii. Ab iis deportatum in ædem Carmelitarum; cúmque jam sepeliendus esset, vivum fuisse deprehensum.

Marcellinus *du Fornel*, nobilis adolescens, oriundus è sancti Desiderii Fano, in Velaunis, Anicio transiens Patrem Regis salutavit. Cui de causâ itineris, ùt fit, percontanti, respondit se Valentiam petere, ut ibi Doctoris gradum & insignia sumeret. *Nihilne præterea?* Subdit Regis. *Imò*, ait juvenis, *de contrahendo matrimonio cogito: sponsâ nobilis & locuples offertur, ac tota res propediem transigetur.* Adolescentis ingenium, forma, præclara indoles bonis artibus exculta, nihil non lætum ac fortunatum ipsi polliceri videbantur. Familiæ, in quam erat inserendus, dignitas, bene nummata uxor, ambitionem ejusdem & cupiditatem blandissimè permulcebant. Quem ubi perituræ felicitatis illecebris captum Regis sensit, *Cave*, inquit, *nè tibi hujus matrimonii commodis, & amœna spe, blandiaris: brevì omnis illa fortunæ fallacis aura difflabitur & evanescet; quin, antequam circumagatur annus, tirocinium vitæ religiosæ in Societate nostra pones.* Adolescens totus in novi, quem animo designabat, statûs, & præclaræ sortis cogitatione defixus; qui nihil in se nec facultatis nec propensionis deprehendebat ad amplectendum vitæ genus, cui destinatus dicebatur, vaticinationem accepit in eam partem, in quam accipi somnia delirantium solent. Interim matrimonium, quod omnino constitutum existimabat, disturbatum est: evanuit imago fortunæ blandientis; ipse quasi de curriculo, quod ingredi parabat, depulsus, hæsit aliquandiu anceps & incertus quam deinceps viam iniret. Denique perspectâ rerum humanarum inanitate, quam è sermonibus Regis, & sua experientia cognoverat, fastidire seriò spes caducas cœpit, ac Tolosam profectus ad ponendum tirocinium, vaticinii, quod

quod irriserat, comprobavit veritatem, & magnum deinde inter Lib. III. societatis concionatores nomen obtinuit. P. Joannes Petrus du Fornel, ejus frater, qui Provinciam Tolosanam summâ prudentiæ laude gubernavit, rem ità gestam esse mihi confirmavit; de quâ pariter meminêre, qui Beati Regis vitam posteris prodiderunt.

Puella nobilis extinctum sororis filium gemens, DEI servum adiit levandi doloris causâ. Hanc ille lugere vetuit, futurum affirmans ut ejus soror novâ prole, post menses novem editâ, jacturam prioris amissæ sarciret. Uti prædixerat, ità contigit.

At non potuit ipse non lugere miserandam alterius puellæ sortem, quam ad solita redituram flagitia prædixerat eo ipso tempore, quo ejus constantia firmioribus nixa radicibus videbatur. Degebat apud sacras Virgines Congregationis S. Caroli, quibus multo cum fletu promiserat se nuntium peccato remissuram in omne tempus, si earum ope liberari morbo posset, quem intemperantiâ suâ contraxerat. Piæ virgines motæ promissis, quibus nihil subesse falsi apparebat, Christi famulum consuluerunt, cúmque haberent exploratam ejus ad quælibet opera misericordiæ suscipienda promptissimam voluntatem, minimè dubitârunt quin istud esset omnino probaturus. Regis ubi paulisper se collegit, sic eas est allocutus: *Agite sanè ùt lubet; non possum non laudare vestram caritatem, cui merces apud DEUM sua manebit: erit illa tamen infelici puellæ funesta; sanitatem corporis, ope vestra partam, pernicies animæ consequetur.* Dicti veritatem exitus docuit: pristinam adepta valetudinem, ad pristina crimina se retulit.

Aliquanto pòst edidit vaticinium isti planè contrarium. Primaria femina libidinoso implicata commercio, apud ipsum, quem ignorabat, peccata deposuit. Hortatus illam est vehementer ut vincula, quibus turpiter ligata tenebatur, perfringeret; in primis autem ut cœtus profanos & periculosos omnino fugeret. Hortanti restitit acriter, illecebris voluptatis delinita, & vincula sua diligens: *Egóne*, inquiebat, *caream subitò jucundissimis illis cœtibus, & vitam insuavem in tristitia & solitudine transigam?* Regis parumper cunctatus, ùt solebat, hæc verba, tanquam dictante DEO, subjecit: *Tuum illud cor, durum modò & saxeum, antequam sex menses fluxerint, divina bonitas emolliet; téque sentiet tam dissimilem tui, ut ipsa tibi non videaris ipsa. Negas fieri modò posse ut aliam vitæ rationem instituas; tunc mirabere qui fieri potuerit, ut eam antea non institueris.* Cor novum, *cor mun-*

Lib. III. *dum*, mores novos, creavit in illa DEUS, ùt vir ſanctus præmonuerat, cujus verba nunquam illi exciderunt.

En aliam prædictionem, cujus circumſtantiæ mirum quiddam ac prorſus ſingulare habent. Virgo ſtudioſa pietatis, & cujus ſolertiâ in caritatis operibus Regis plurimùm utebatur, illi operam navare aliquando detrectavit, ſubirata Patri collegii, à quo neſcio quid offenſiunculæ accepiſſe ſe judicabat: *Negas opem, quam pro DEI gloria rogo, mihi nunc præſtare*, inquit vir ſanctus; *Erit illud tempus cùm opem meam in graviſſimo tuo periculo implorabis.* Aliquanto pòſt, cùm jam DEI ſervus obiiſſet, ſicarii facto in virginem impetu, tot plagis eandem malè multârunt, ut à medicis & chirurgis, ſanationem deſperantibus, fuerit omnino depoſita. Tunc memor cariſſimi Patris, curavit ſe deportandam ad ejus tumulum multis jam miraculis clarum, ex eóque perſanata rediit.

Vaticinium quod modò ſum narraturus, eò fuit illuſtrius, quòd in oculis populi & luce totius urbis editum eſt. Vigebat Anicii ars conficiendæ teniæ denticulatæ, & plurimas familias occupabat alebàtque; cùm hanc negotiationem Ludovicus XIII. edicto prohibuit. Ad Patrem Joannem Franciſcum trepida plebs confugit, quæ ſublato ejuſmodi tæniarum commercio, ad extremas inopiæ redigebatur anguſtias. Doluit populi vicem, ac præſertim virginum complurium, quarum egeſtatem utilis occupatio ſuſtentabat, & caſtimoniam tuebatur. Earum periculo, precibus lacrymíſque permotus, & oculis in cælum ſublatis aliquandiu moratus, *Confidite*, inquit, *reſtituetur negotiatio*, ſimúlque tempus conficiendæ rei deſignavit, *ſtabit, ùt pridem, & inpoſterum florere perget.* Ea vox mœrorem publicum diſcuſſit, dubitante nemine quin priſtinum in ſtatum reſtituenda negotiatio foret. Et accidit eo ipſo tempore, quod à viro ſancto deſignatum erat, ut Rex edicto poſteriore prius abrogaret; redditóque urbi commercio longè utiliſſimo, vigeret ars populo neceſſaria, quæ floret etiamnum, & prædictionem eventu lætiſſimo confirmat.

Iſtæ vaticinationes, aliæque plurimæ, quibus recenſendis ſuperſedeo, vehementer auxerunt venerationem, quâ populus eum proſequebatur; nec populus tantùm ſed univerſa nobilitas Anicii, Clerus omnis & cœnobitæ: in primis autem Epiſcopus, ejúſque Vicarius Generalis.

Julius quidem *de Serres*, Anicienſis Epiſcopus, non genere, quàm doctrinâ & virtute, clarior, *cujus memoria* per omnem diœceſim,

cesim, adhuc *in benedictione est* * tanti æstimabat ejus sapientiam Lib. III.
& virtutem, nihil ut majoris momenti susciperet religionis causâ, *Quanti*
ipso inconsulto: nullus habebatur pietatis cœtus, quò illum non *fieret ab*
introduceret, nullum opus caritatis, cujus curam illi non commit- *Aniciensi*
teret, ut ejus regeretur consilio, & auctoritate fulciretur. Non *Episcopo, & ejus Vicario Generali.*
semel famam illius apud egregium præsulem deterere nonnulli conati sunt, verùm, spretis invidorum aut improborum sermonibus, defensorem semper ipsius laudatorémque se præbuit; cùm persuasum haberet nihil objici viro sancto posse, nisi quòd modum in colenda virtute vix teneret. Ut autem ejus adversariis pudorem & silentium imponeret, omnem de industria captabat occasionem significandi quanti eum faceret, quantum ejus probitati ac prudentiæ confideret. Eundem in omni sermone sanctum, Apostolum, hominem sibi mortuum, & divino plenum spiritu, vocitabat. Gratias agebat superis, quòd sibi tam excellentem submisissent operarium ad instaurandam aut ornandam populi sui pietatem. Quin etiam illius vultum in tabula pictum habere domi voluit, negotiúmque celeberrimo urbis pictori dedit, ut ejus oris ductus & lineamenta observaret, dum rem divinam faciebat, haud dubius nunquam futurum fuisse, ut assentiretur, si tentata res alio tempore fuisset.

* *Eccli. 46.*

Petri *le Blanc*, Vicarii Generalis Episcopi, erat observantia erga DEI servum par, & veneratio. Amborum animos, ubi primùm inter se nôrunt, amicitia suavissimè conjunxit, quam ùt initio conciliaverat indolis & morum similitudo, sic deinceps aluit atque confirmavit. Nihil suscipiebat & moliebatur P. Regis, nisi de sententia jussúque Vicarii Generalis, qui pariter amici consilium & mentem in omnibus exquirebat. Quemadmodum viri sancti virtutes nemo notiores habebat, sic inter eos numerari testes voluit, qui auditi fuerunt in causa ejus Canonizationis. Ibi sanctitatem servi DEI miris quibusdam coloribus depingit, ac testimonium concludit his verbis, quæ locum ingentis elogii obtinere possunt. *Illum*, inquit, *semper sum contemplatus, ùt Angelum, propter morum purissimam integritatem; ùt imitatorem genuinum & fratrem S. Francisci Xaverii, propter Apostolici zeli fortitudinem & ardorem; ùt patrem pauperum, propter excellentissimæ caritatis amplitudinem; ùt sanctum primæ notæ, propter virtutum Christianarum & Euangelicarum absolutissimam complexionem. Omnes Anicienses eum semper spectârunt, & spectant eti-*

Lib. IV. *amnum non modò ùt ſanctum, ſed ùt ſuæ urbis Apoſtolum, quam concionibus & exemplis erudivit, reformavit, ac vera ſanctitate perpolivit; nullâ ratione habitâ quietis, famæ, ac nè vitæ quidem, quam, ipſorum ſaluti, ſemper devovit.*

Sic virtutibus, prodigiis, & heroicis facinoribus, quæ DEI ſervus edidit Anicii per æſtivos menſes, poſtremis quatuor vitæ ſuæ annis, glorioſum Apoſtoli Anicienſium nomen eſt conſecutus. Ad eundem modum, ea, quæ totidem annis geſſit ac toleravit hieme in Miſſionibus apud Velaunos peractis, illuſtrem titulum Apoſtoli Velaunorum illi pepererunt.

VITA B. JOANNIS FRANCISCI REGIS.

Liber IV.

Oppidum Fay, & vicina loca, Miſſionibus excolit, 1636.

GRaviter ac moleſtè tulerat Regis, ùt diximus, negatam ſibi à Præpoſito Generali Miſſionem Canadenſem. Ut mœrorem ſuum ſolaretur, decreverat, conſultis ſuperioribus, totum ſe dare frequentandis in agro Velauno Miſſionibus, quo in tractu magna populi pars nec minùs barbara, nec fortaſſe facilioris culturæ, quàm ipſi Canadenſes, erat. Hæreſis, tunc inter Vivarienſes regnans, funeſta contagione proſerpſerat in pleraſque Velaunorum partes, & bellorum civilium furore ſubnixa, incolas ità depravaverat, ut legum humanarum ac divinarum ſoluta vinculis licentia ubique volitaret. Qui montium incolebant juga, tanquam ab hominum conſortio ſecreti, erant illi quidem catholici, verùm fœdiſſimis vitiis honorem apud ipſos ac ſecuritatem conſuetudo tribuebat. Religionis myſteria jacebant ſepulta in tenebris & oblivione; ſacramentorum, aliorúmque pietatis officiorum, uſus ferè omnis obſoleverat. Iſtorum montanorum formandis moribus poſtremum vitæ ſuæ quadriennium ſanctus Miſſionarius addixit, concurſans ſingulis annis per hiemem pagos & vi-

cos

cos diœceſeon Anicienſis, Viennenſis, Valentinæ, & Vivarienſis, quicumque intrà fines Velaunorum continentur. Præcipuas quaſdam duntaxat Miſſiones exponam, in iiſque referendis ordinem temporis ferè ſequar. Lib. IV.

Primus illi labor in oppidulo Fay, & vicinis locis, initio anni 1636. Sedet iſtud oppidulum inter denſa nemora & inacceſſos montes. Hunc tractum præcipuè ſumpſit excolendum, quia per eum graſſata latiùs hæreſis, graviorem catholico nomini labem intulerat. Hoc veluti centrum eſſe voluit Miſſionum, quas in Fanum S Symphoriani, & S. Juliani; Chagnacum, Champelouxum, & pleroſque finitimos pagos, dividere conſtituerat.

Hugo *Sourdon*, juris doctor, unus è primariis oppidi civibus, eum domum ſuam tam enixè, tam amanter, invitavit, ut hoſpitii recuſandi poteſtas nulla fuerit. Lætus doctor tanto hoſpite luculentam caritatis & humanitatis ſuæ mercedem ſtatim tulit, reſtitutâ filio ſuo valetudine. Is annos quatuordecim natus laborabat à ſexennio humorum copiâ, ex oculis tanto cum dolore ſtillantium, ut in gemitus lamentabiles interdum prorumperet. Omnia chirurgorum & medicorum remedia malum inſanabile vicerat, eóque demum evaſerat, ut videndi ſenſu planè careret puer, jámque à ſex menſibus nihil penitùs ipſo meridie cernebat, cùm domum P. Joannes Franciſcus ſubiit. *Duobus cæcis videndi ſenſum reſtituit.*

Ingredienti cæcum offerunt. Quem ad collocandam in divina bonitate ſpem hortatus, ſeceſſit cum aliquot domeſticis in proximum cubiculum, orandi cauſâ. Vixdum orare deſierat, cùm cæcus viſum recepit, adeò ut egreſſo Regis ad explicandam populo Chriſtianam legem, puer ſingulos, qui convenerant in templum, diſtinctè conſpexerit. Ex eo tempore nullus oculos dolor, nulla diſtillatio vexavit. Hoc ipſe, annos octoginta natus, pro teſtimonio juratus dixit, audientibus Epiſcopis Anicienſi & Valentino: addidítque, alterum cæcum hujus miraculi famâ tunc fuiſſe adductum in ſpem ſimilis beneficii conſequendi. Annos ille quadraginta natus, octo poſtremos in cæcitate tranſegerat. Hanc Regis, ducto ſuper hominem crucis ſigno, confeſtim depulit.

Miſſionis aditus felicior eſſe non poterat. Hæc prodigia famam, quæ de ſacerdotis ſanctitate percrebuerat, planè confirmârunt, eíque dociles omnium animos, auréſque præparârunt. Infinitus, ad videndum, ut prædicabant, & audiendum ſanctum, concurſus eſt factus non populi tantùm, ſed nobilium, cœnobitarum, *Concurſus ingens ad ejus conciones. Earum fructus.*

Lib. IV. rum, & sacerdotum, qui quatuor leucas non dubitabant ambulare, ut concionantem auscultarent. Ipsi Calvinistæ, virtutis admiratione capti, catholicorum ardorem æmulari & vincere certabant.

Nimirum Apostolica vita omnes arcanis illecebris rapiebat. Cernebant illum diu noctúque occupatum in populo erudiendo, excipiendis confessionibus, pauperibus sublevandis, visendis ægrotis, cibi, somni, & valetudinis oblitum. Nec leue sanctitatis eximiæ argumentum erat præcipua pauperum cura, quos amplecti teneriore quodam affectu videbatur, quamvis neminem repudiaret, nec salutem divitum minore haberet in pretio. Pauperes ad sacrum confessionis accedentes tribunal libentiùs admittebat, quàm nobiles: ad eos consolandos itabat in eorum casas, in custodias, in publicum valetudinarium; & quæ ipsis opus forent, ostiatim emendicare non cunctabatur. Animorum egestati & incommodis non segniùs medebatur, quàm corporum. Itaque in oppido Fay, bellum vitiis, ùt aliis omnibus locis, indixit, ac potissimùm impudicitiæ, cujus capitalem ubique hostem se profitebatur. Oppidum ingressus cognoscere ante omnia studuit è probis ac prudentibus viris suspectas domos; cúmque rescivisset mulieres aliquot eâ peste infectas esse, illis turpitudinem intemperantis vitæ tam gravi, tam incensâ oratione demonstravit, ut infanda commercia rescinderint. Perraró accidebat ut flagitiosi vim dicentis, & agentis constantiam sustinerent, ac si qui pertinaciùs utrique resisterent, non raró contingebat, ut exitu vitæ luctuoso divinæ severitatis ac justitiæ triste documentum darent. Multa jam hujus generis exempla retulimus; his unum addimus, quod in oppido Fay gestum, & peculiaribus quibusdam notis est insignitum. Civis locuples, fœdissimis jam pridem cupiditatibus mancipatus, eo ipso tempore concubinam alebat domi. Venit ad eum Regis, & oratione, quamcumque suavissimam excogitare caritas potest, molles in ejus animum aditus captavit. At impudicus dicentem nè aspectu quidem dignatus est. Non deterritus hac inhumanitate sanctus Missionarius, redit ad eum postridie, eúmque ipsi paterna benignitate fœditatem sui sceleris, offensionem justam populi, lamentabilem, in quo versabatur, statum ob oculos posuisset, durum pectus concutere conatus est metu imminentis mortis, divini judicii, & æterni supplicii, quod effugere non poterat, si deprehensus in scelere periret: ad extremum obtestatus ut se respiceret, ut saluti sempiternæ tandem aliquando consuleret, lacrymis ubertim profusis

Civem publico flagitio infamem revocare conatur à scelere.

ſis peroravit. Improbus tædio victus, nec dicentem audire diutiùs ſuſtinens, interpellat ferociter, ac faceſſere procul jubet. Parantem plura, conviciis onerat, & manu correptum domo exigit. Lib. IV.

Regis, quaſi nihil accepiſſet injuriæ, acrior ad pugnam poſtridie redit, armíſque validioribus expugnare hoſtem nititur. At ille ferreum pectus omnibus telis objiciens, amicam vim ſceleratâ vi retundit, monitis cachinnos, precibus contemptum, minis minas & opprobria reponit. Hic enimvero cernere licuit quàm verè dictum ſit ab Apoſtolo, *Caritas patiens eſt.* * Perſeveravit DEI ſervus integro menſe ſingulis diebus pertinaciter in peccato perſeverantem viſere. Addidit preces & jejunia, ut iram DEI vindicem à ſcelerato capite averteret. Demum tentatis fruſtrà omnibus remediis, omnibus exhauſtis, ſancto dolore percitus, hominem convenit, divinámque ultionem, & imminentem ruinam denuntiat. *Hodie poſtremùm te video*, inquit, *hodie poſtremùm te DEUS meis verbis ad pœnitentiam invitat*: *niſi modò reſipiſcis, actum eſt.*

* *1. Cor. 13.*

Pertinacis improbi pœna præſens.

Impius magìs, magíſque induratus, minas jocis & ſtomachoſo riſu excepit: at non impunè. Paucis pòſt diebus globulo plumbeo, ferreâ emiſſo fiſtulâ, petitus interiit, nullo dato ad pœnitentiam ſpatio. Hæc tam præſens, tam perſpicua improbi pœna multis terrori, multis ſaluti fuit. Peractæ in oppido *Fay* & vicina regione Miſſionis imago verior adumbrari nulla poteſt, quàm inſertis hoc loco verbis Claudii *Sourdon* cujus hoſpitio multos menſes Regis uſus eſt. Hic igitur, cùm teſtimonium rite diceret, audientibus duobus Epiſcopis, ità eſt locutus.

In ſummi beneficii, à ſuperis mihi conceſſi, loco ſemper duxi, quòd Patrem Regis hoſpitio acceperim, dum Miſſionem obibat in patria mea. Vultus neſcio quid majus homine præferens; totus ipſe, ſi quid loqueretur, agerétve, ſanctitatem ſpirans, venerationem conciliabat. Nemo præſentem intueri, nemo dicentem audire poterat, quin amore divino ſuccenderetur. Sacroſancta myſteria celebrabat tanto ardore, tanta ſuavitate pietatis, ut ad aram ſtare Angelus, non homo videretur. Illum vidi ſæpe in familiari ſermone derepente conticeſcere, mox colligere ſe, & inardeſcere: tum de rebus divinis verba facere, ea flagrantis animi concitatione, quæ illum præſente DEO afflatum, apertè oſtenderet. Nuſquam autem ille Divini Spiritûs, quo intùs movebatur, impetus clariùs apparebat, quàm cùm populum in templo erudiret. Tunc effata

Lib. IV. *Christianæ doctrinæ tam disertè proponebat, tam fortiter inculcabat, ut convinceret vel maximè rebelles; & quamvìs oratione simplici ac velut illaboratâ uteretur, eam tamen actio, vóxque ardoris & suavitatis plena, in animis audientium altissimè defigebat.*

Absolutâ concione, concurrebant omnes catervatim ad sacrum pœnitentiæ tribunal, in quo ipse totos dies sæpe jejunus considebat. Interdum advenarum è longinquo confluentium ut eum audirent, ut ipsi peccata explicarent, tanta erat multitudo, ut omnem Velaunorum agrum, cum suis incolis, in oppidum Fay effusum collectúmque crederes. Non contentus aures confitentibus accommodare interdiu, laborem producebat in multam noctem; & quamvìs nihil sumpsisset cibi, avellendus erat à sacro tribunali, ut eo parumper reficeretur. Mirabamur omnes qui fieri posset, ut tantâ defatigatione non frangeretur; & mea mater quandoque id sibi sumebat ut eum idcirco liberiùs objurgaret: sed frustrà.

Admirationem nostram illud maximè cumulabat, quòd, cùm die ac nocte cingeretur agrestium coronâ, qui è Velaunis montibus continenter alii ex aliis accedebant, nunquam tamen audivimus de illorum numero vel rusticitate conquerentem. Imò ipsum intuebamur in hac importuna turba perstare tantâ oris serenitate, tam invictâ tranquillitate animi, ut facilè appareret ipsum gentis miseræ ac pene barbaræ gaudere consortio, & in ejus congressu suavissimè conquiescere.

Post navatam oppido Fay diligentissimam operam, contulit curas ad faciendam in vicina regione sementem Euangelicam. Quotidie dabat se in viam summo manè, ut rusticos in silvis montibúsque sparsim degentes, inviseret. Interdum imber densus, aut procellosi venti, cælo biberno sæviebant: interdum solutæ nives, torrentésve tumidi, omnia obstruebant itinera. Hortari & urgere mea mater non cessabat, ut nè se committeret viæ, tam alienâ, tam acerbâ tempestate, quâ vel audacissimi pedem efferre domo non sustinebant: certum vitæ periculum demonstrabatur. Nullâ denuntiatione periculi, nullis precibus amicorum movebatur. Diem totum perlustrandis singillatim tuguriis consumebat, idque semper pedes, & jejunus, nisi fortè mea mater pomum sumere cogeret, quod ille in peram abdebat. Oppidum, nisi serâ jam nocte, non revisebat, nec toleratis per diem totam ærumnis impediebatur, quo minùs solitas repeteret functiones, séque ex labore, novo labore recrearet.

Cùm

Cùm ex uno loco, post impositum Missioni finem, in alium proficiscebatur, novam incboaturus, volupe erat cernere innumeram sequentis populi multitudinem: permisti catholicis Calviniani, quos odor eximiæ sanctitatis alliciebat, comitabantur. Talis fuit ejus ex oppido nostro discessus, in quo quàm multa præclarè gesserit, nulla satìs explicet oratio. Magnus hæreticorum numerus ad veram fidem traductus: mulieres plurimæ à libidinosa peccandi consuetudine revocatæ, compressa dissidia, odia extincta, inducta pax in familias, restitutus sacramentorum usus, pueri doctrinâ Christianâ rite instituti, emendati mores oppidanorum, exterminata impietas, regio tota sanctioribus institutis legibúsque devincta, ejus Apostolici zeli fructus, & illustria monumenta, extiterunt. Lib. IV.

Regis hac Missione defunctus, Anicium, pro more, se recepit sub initium æstatis anni 1637. eáque ibi perfecit, quæ libro III. retulimus. Appetente hieme sanctum Missionarium multa oppidula, pagíque, certatim flagitabant. Ut ceteris Marlem anteponeret, ubi jam ante aliquot annos Missionem obierat, Jacobus *Andrè*, loci parochus, summis precibus evicit. Marles, amplus & numerosus Forensium pagus, in agri Velauni limite, novem leucis Anicio distat. Illuc profectus est Regis circiter Idus Novembres anni 1637. Erat tempestas asperrima, immodicum frigus, terra nivibus cooperta: viæ, per quas transeundum, aspectu accessúque horridæ. Nunc erependum illi fuit in cautes lubricâ obsitas glacie; nunc descendendum in valles congestâ nive oppletas; modò rumpendum per densos vepres & rubos, iter. Hic ostendit insigni prodigio DEUS tantò majori curæ sibi esse servi sui salutem, quantò minùs ipse de illa laborabat.

Marlensem Missionem inchoat exeunte anno 1637.

Cùm arduum montem superare per obductos glacie calles contenderet, virgulta & dumos prensans, accidit ut corrueret, errante manu, fallente vestigio, & crus frangeret. Haudquaquam tristi territus casu, & ore (quod semper illi serenum) nihil mutato, pergit ire, ac duas conficit leucas baculo nixus, & à Socio sustentatus. Tandem pagum attigit; ibíque, omisso, qui vulneri medicinam faceret, chirurgò, magìs de animarum salute, quàm de sua incolumitate, solicitus, rectà contendit in sacram ædem, ubi illum conferta turba opperiebatur, & confitentibus operam per multas continenter horas dat. Monitus ab ejus socio parochus, ac trepidè accurrens, obsecrabat ut parumper domum subiret. Impetrare nihil potuit. Postquam populo & caritati suæ satisfecit,

 pas-

Lib. IV. passus est inspici fractum crus; cúmque ipsâ cunctatione, atque adeò laboriosi itineris, post tibiæ fracturam emensi, contentione malum ingravescere debuisset, imò sanandi spem omnem ademisse, sanum crus omnino deprehensum est. Divinæ providentiæ nutu contigit, ut ipse amico rem totam, uti postea dicetur, ingenuè aperiret.

Testimoniũ Marlensis parochi de vita ejus Apostolica.

Nusquam populi major ad audiendum sanctum Missionarium concursus, nusquam uberior fructus, quàm in Marlensi pago fuit. Parochus, ejus hospes, affirmavit ipsum solitis Missionis exercitationibus ità districtum fuisse, ut sacrum Eucharistiæ cibum horâ post meridiem sextâ sæpe distribueret: totas pervigilâsse noctes in populo erudiendo, & confessionibus audiendis; nullâ cibi & somni mentione, aut curâ, donec animum iis explevisset, qui ad eum è vicinis locis confluebant: exhaustis viribus aliquando sic fractum jacuisse, ut pedibus insistere non valeret. Tot immensis laboribus, ut idem parochus testificatus est, miras quasdam corporis pœnas adjiciebat, quotidianum & acre jejunium, itémque cilicium; nocturnam singulis diebus verberationem: somnum in scamno, eúmque duabus, tribúsve horis circumscriptum: cùm reliquam noctem in ministerio Euangelico, vel meditandis rebus divinis, occuparet.

Parochus frustrà conatur efficere ut modum labori, & corporis afflictationibus imponat.

Usque eò processit sanctum illud odium, quo carnem suam prosequebatur, ut parochus valetudini ejus atque adeò vitæ timens, putaverit seriò admonendum, nè mortem ipse sibi consciceret, ac festinato interitu, dierum numerum, ipsi à superis definitum, præcideret. Negavit Regis se adduci posse, ut quæ suggerebat, valetudinis præsidia & levamenta, cautionésque ab humana lenitate & indulgentia dictatas, usurparet; cibum suum, quietem, & vitam, salutem esse animarum; nullo nos argumento probare certiùs posse nostrum amorem erga DEUM, quàm ejus gloriæ devovendo quod habemus in terris carissimum, valetudinem, & vitam.

Non contentus parochus responso, cujus gravitatem & sapientiam mirabatur, cùm nihil monendo rogandóque proficeret, aliam sibi viam ineundam putavit. Ad P. Ignatium *Arnoux* collegii Aniciensis Rectorem scribit, orátque ut sancti Missionarii zelum & austeritatem certos intrà cancellos coërceat: *Nullum*, inquit, *labori & voluntariis pœnis modum statuit. Unam video frenandi hominis rationem, si tuam mihi demandes auctoritatem, adeò ut suum in*

in me rectorem agnoscens, morem imperanti mihi gerat. Id nisi Lib. IV. *fit, brevi ad extremas valetudinis & vitæ angustias redigetur.*

Rector, cui jam pridem notus Regis animus laboris & pœnitentiæ supra modum avidus, scripsit hinc quidem Parocho placere sibi ut Superioris partes omnes in DEI servum & auctoritatem suam obtineret; indè verò Patri Regis præcepit ut Parochi nutus omnes auscultaret in iis, quæ ad suam valetudinem pertinerent, cúmque deinceps tanquam divinæ voluntatis interpretem haberet. Regis non erat è numero istorum, qui sic officia virtutis colunt, ut ea velint arbitrio suo moderari, sententiæ suæ tenaces, indociles alienæ. Imperio Parochi ac potestati se omnino subjecit: quemcumque ille præscribebat laboris modum, quæ levamenta fesso suggerebat, ea sic accipiebat omnia, tanquam si fuissent à DEO ipso præscripta. Sanè permolesta illi accidebat indulgentia Parochi, quâ parcere sibi ac temperare jubebatur; sed obedientia, quam DEO præstabat in homine, spiritum pœnitentiæ, & odium sui ipsius, quo flagrabat, superavit. *Jubetur obedire Parocho.*

DEUS obedientiam servi sui præcipuis quibusdam donis in hac ipsâ Marleusi Missione muneravit. Quod functionibus Apostolicis tempus detrahere cogebatur, id in familiari cum DEO congressu consumebat, jacturam publicæ utilitatis, & animarum damnum quoddam, privatæ pietatis lucro sarciens. Parochus interdum noctu consurgens, & quid tandem rerum ageret observans, illum intuebatur nunc vultu prono, humi stratum, & in lacrymas effusum; nunc stantem, oculis in cælum conjectis, & in alta contemplatione demersum. Aliàs audiebat suspiria ducentem ab imo pectore, tum in eas voces, quas flamma caritatis accendebat, erumpentem: *Quid mihi est in cælo, aut à te, quid volui super terram?* * Per totum istud tempus beata mens servi DEI suavissimo Numinis amantissimi congressu fruebatur, aut à sensibus alienata, veluti rapiebatur foras. Testatus est Parochus, cujus mentionem jam feci, sæpe illum à se, dum oraret, conspectum, instar Seraphini ardere toto vultu, per complures horas immobilem, ac sensûs omnis, ùt apparebat, & cognitionis, expertem. *Studium orationis: mentis excessus.* * *Psalm. 72.*

Hæc illustria gratiæ dona valuerunt ad declarandam privatim viri Apostolici sanctitatem: alia in oculis hominum edita, latiùs eandem celebrârunt. Adductus ad eum est aliquando in ædem sacram à malo dæmone ab annis ampliùs octo possessus. Tartareum hospitem nulli exorcismi sæpiùs adhibiti abegerant. Ut ve- *Energumenum liberat.*

Lib. IV. nit in conspectum, jactare se scilicet ferociùs, ululare, bacchari miris modis, populo cohorrescente, & ipso Regis diram possessionem deplorante. Qui fixo in cælum obtutu, postquam salutare crucis signum misero impressit, redditus sibi ille, ac sævâ possessione liberatus in perpetuum fuit.

Multa alia prodigia patrat in Marlensi pago.

Aliàs, inquit idem Jacobus Andrè, cùm ex æde sacra sanctum Missionarium domum meam reducerem, secuta nos est hominum infinita multitudo. Rusticus è longinquo adveniens, confiteri peccata nequiverat, quia Patrem è templo discedere multa jam nocte jusseram, pro ea, quam mihi dabat epistola Rectoris, auctoritate. Instabat avidus Patris alloquendi senex, útque obstantem turbam dimoveret, manibus, pedibúsque præceps per medios ruebat. Prope meas ædes clivus satìs arduus assurgit. Urgentibus qui pariter festinabant, cecidit rusticus, & impacto in lapidem molarem brachio, humerum loco movit. Hominis calamitatem ægerrimè Regis tulit: relegit vestigia, & humerum luxatum leniter attrectans, eíque bene precatus, illum in pristinum locum subitò restituit. Deinde, exceptâ ejùs confessione lætum, sanúmque, dimisit. In eadem Missione multis arcanas ipsorum cogitationes & consilia patefecit: aliis multa prædixit, quæ postea iisdem contigerunt.

His prodigiis magnus ad præclaram de sanctitate præstantis Missionarii opinionem cumulus accessit, omnésque Velaunorum montes vulgata latè fama complevit. Proprium illi nomen sancti, & Apostoli Velaunorum, consensus gentis fecerat. Perbeatos se arbitrabantur, quibus benediceret, quos audiret confitentes, quibus panem Eucharisticum porrigeret. Pio furto subducebantur ea quibus uti consuevisset, ac sacrarum reliquiarum ritu servabantur. Cùm hæc opinio de viri sanctimonia omnium animos penitùs imbuisset, quid mirum si in pago Marlensi tam admirabilis facta fuerit morum in meliorem statum conversio?

Apostolici Missionarii excellentem virtutem eò certiùs prædicare possum, (addit Parochus idem) quòd ejus confessiones excepi tempore trium Missionum, quas in mea parœcia peregit. Quamvìs degeret vitam ab omni labe ac rerum humanarum contagione disjunctam, nihilominus animum sacrâ confessione singulis diebus purgabat, eâ pietate atque humilitate quæ mihi pudorem incutiebant. Affirmare verè possum acceptam in sacro fonte innocentiam ad extremum usque spiritum ab eo conservatam fuisse. Nunquam hujus sancti viri memoria recurrit animo, quin me incredibili quadam

dam voluptate delibutum sentiam. Ejus nomen, virtus, & veneratio vigent adhuc inter Velaunos, ejúsque laudibus nostri montes personare non cessant. Lib. IV.

Post emendatos Marlensium ac vicinorum mores, & è Christianæ disciplinæ legibus compositos, perrexit ad insigniores regionis pagos similibus præsidiis instruendos, Fanum S. Salvatoris, Sancti Petri Machabæorum, S. Boniti frigidi, Vourcium, &c. Idem ubique successus, eadem animarum lucra. Non persequar omnia singillatim, nè repetendis iisdem rebus molesta sit narratio. Religio tamen est præterire quædam illustriora, quæ ad gratiæ cælestis in servo DEI commendationem præcipuè valuerunt. *Varios pagos & oppidula lustrat, eruditque.*

Venit ad eum rusticus in Fano S. Salvatoris mœrore exanimatus, quia duos ejus boves militum turma præteriens abduxerat. Eos nisi recupero, ajebat, perii funditus; in iis enim fortunas omnes meas, & alendæ familiæ spem collocatam habeo. Movit virum benignissimum rustici calamitas, moverunt lacrymæ. DEUM breviter precatus, *Abi*, inquit, *boves tuos recipe, ac præ te resumptos age; nemo, crede mihi, molestiæ quidquam tibi exhibebit, aut quo minùs eos abducas, obstabit.* Lætus promisso rusticus in eum evolat locum, ubi milites prandii causâ constiterant. Recipit, ùt jussus erat, boves, ac præ se agit; militibus, qui aderant, nihil contrà opponentibus. Gilbertus, sancti Petri Machabæorum Parochus, gratias ingentes DEO semper egit, quòd sibi contigisset nosse P. Regis, eúmque hospitio excipere, dum in sua parœcia Missionem obiret: negabat cognitum sibi quemquam austerioris vitæ, & zeli ardentioris.

A Fano S. Petri Machabæorum progressus est ad parœciam S. Boniti frigidi. Id nominis loco impositum propter inclementiam frigoris, quod ibi acerrimum. Senserat hujus pagi Parochus Patrem Regis singulis noctibus egredi clanculum cubiculo. Incessit curiositas vestigandi quò pergeret, quid rerum ageret. Domum aliquandiu scrutatus, cùm nusquam appareret, procedit in sacram ædem, non longè distantem. Ibi offendit ante valvas provolutum in genua junctis manibus, & aperto capite, dum sævus Aquilo aërem undique perflabat. Rogavit ut aliquam rationem haberet valetudinis, quam in manifestum conjiciebat periculum, complures noctis horas extrahens sub dio, tam rigidâ tempestate. Cùm eum ab orandi studio non posset avocare, templi claves illi tradidit, in quo injurias aëris tectus effugeret. Rem gestam, utì à no-

Lib. IV. à nobis narrata eſt, Parochus ſæpe memorans, affirmabat DEI famulum pernoctâſſe in templo, contemptâ frigoris immanitate, quæ intolerabilis anno illo extiterat.

Ejus laborem immodicum Parochus Vourcii reprehendit.

Appetente æſtate Anicium, ùt ſolebat, properantem remoratus eſt Mauritius *Boyer*, Vourcii Parochus, olim Regis diſcipulus, & ſancti Magiſtri venerationem altè infixam animo retinens. Dies non ampliùs octo in hac mediocri parœcia conſumpſit, ſed laboris diurni nocturníque plenos.

Indoluit Parochus pro ſua ſingulari erga illum benevolentia. Quippe timuit nè fractis tam aſſiduo labore viribus, concideret penitùs ac deficeret. Suum illi metum ſignificavit, addidítque ipſum rationem conceſſæ valetudinis DEO redditurum, quam ſi prodigere pergeret, eò brevì redactum iri ut ad ferendam proximis opem, inutilis & mancus evaderet. Regis viciſſim putavit ſe poſſe, hac datâ occaſione, amico ingenuè confiteri, quod ſibi ante menſes aliquot eunti Marlem acciderat, quo in itinere cùm fregiſſet crus, fuerat paucis pòſt horis mirabiliter à DEO perſanatus. *Poſt tam evidens divinæ bonitatis pignus*, inquit, *quid dubitem, timeámve, valetudinem illi meam, vires, & vitam, omnino permittere*? Hoc totum Mauritius *Boyer* coram Melchiore *de Chabanes*, Vicario Generali Anicienſi, jurejurando interpoſito, teſtificatus eſt.

Miſſio in pago Monteregardo per hiemẽ anni 1638.

Finitâ Vourcii Miſſione retulit ſe anno 1638. Anicium, ad æſtivam ſtationem, & ſolitas caritatis functiones. Exactâ æſtate, hiems illum ad ruſticanas Miſſiones revocavit. Earum initium à Monteregardo facere placuit. Major eſt pagus, ſeptem tantùm leucis Anicio diſtans. Eò paulò tardiùs, & noctù, pervenit propter aſperum & incommodum tempus. Licèt enectus frigore, defatigatus longitudine ac difficultate itineris, nihilominus templum rectà, pro more, petiit; quod cùm reperiſſet clauſum, ante fores oraturus in genua procidit. Quamvis hibernum frigus acriter deſæviret, preces tamen attentiſſimâ contentione, producebat, cùm à ruſticis illac fortè tranſeuntibus deprehenſus eſt humi jacens, & ferme totus nive coopertus, quæ denſiſſima depluebat. Vix ab eo ſummis precibus impetrârunt ut vicinas in ædes ſe reciperet, depellendi frigoris, & cibi parumper ſumendi, causâ.

Ut primùm poſtera dies illuxit, Miſſionem aperuit, auditúſque eſt incredibili ſtudio & aviditate innumerabilis populi, qui ex pagis finitimis vicíſque confluxerat. Inter alias Miſſiones hæc una illum maximè delectavit, ídque ob eam cauſam, quia fuit præ ceteris

teris laborioſa, ob acerbitatem frigoris, & varia itinera, quibus Montemfalconem, Marcoum, & Chambonum, per inexplicabiles vias luſtravit: tum autem quia meſſem ex ea longè uberrimam collegit. Pars hujus meſſis præcipua extitit numerus ingens hæreticorum ad catholicam fidem reductus. Cùm admirabili ac divinitus inſitâ polleret arte animos conciliandi, hanc feliciter adhibuit in reſtituendis Eccleſiæ plurimis Chamboni, aliorúmque pagorum incolis Calvinianis, qui ad eum audiendum certatim concurrebant. Sed nullam illuſtriorem de peſtilente ſecta victoriam reportavit, nullum illi gravius intulit vulnus, quàm redditâ partibus Catholicis Ludovicâ *de Romezin*. Lib. IV.

Domina de Romezin Eccleſiæ Catholicæ reſtituit.

Hæc, vidua dives, annos duntaxat duos & viginti nata, oriunda ex pago Chambono, Montemregardum tunc habitabat. Dederant operam pater & avus, quorum in ditione ac dominio erat nobilis fundus *de Mazaud*, ut arcana omnia Calvinianæ ſcholæ ab adoleſcentia perdiſceret, in iiſque tantum profecerat, ut inter ſectæ proceres non minùs eruditione & ingenio, quàm generis & formæ præſtantiâ, emineret. Ceterùm ampla feminæ mens, & nihil humile ſpectans, eadem recta, & veri, quod haberet perſuaſum, tenax; judicium limatum, benigna indoles, & ad virtutem quodammodo nata factáque. Errori, quem profitebatur, decus & ſpecioſam commendationem conciliabat feminæ ſingularis probitas, & erga inopes beneficentia. Tot collectis ſimul dotibus id conſecuta erat, ut exemplum mulieris numeris omnibus expletæ inter ſuos populares haberetur. Id unum jure ac meritò doleres, quòd iſtæ dotes egregiæ ad famam tantùm & auctoritatem pernicioſo dogmati comparandam valerent: in ipſa quidem nihil reprehenderes aliud, quàm pertinaciam in errore, in quo nata erat; unum deſiderares, ut eundem aliquando deponeret. Felix illud momentum advenerat. Res præclarè ac mirabilter geſtæ, quas prædicari de viro ſancto audierat, illius videndi cupiditatem illuſtri viduæ injecerunt, atque adeò concionantem audiendi. Sed cùm eſſet quaſi dux Calvinianarum in ea regione partium, id palàm facere verebatur. Præterea deterrebatur innato in homines Societatis odio, quamvis eorum neminem unquam noſſet. Vicit humanos metus curioſitas. Cùm aliquando verba facturus eſſet ante ſolis ortum, acceſſit clàm, ídque in turba, nè agnoſceretur. Sanctitatis ſuaviſſima lux, quæ in vultu P. Regis emicabat; cæleſtis verborum unctio, quæ aures animóſque dulciſſimè permul-

Lib. IV. cebat; actio plena ſpiritûs & animi; divinæ caritatis ardor, quo flagrare totus, cùm diceret, ſentiebatur, Ludovicam admiratione percuſſerunt, aſſuetam audiendis aridis & jejunis ſuorum conciunculis, vel atrocibus in religionem Catholicam ſatyris. Tam piè tam vehementer affecta eſt primâ illâ concione, ut reliquis omnibus intereſſe decreverit: ac reipſa nullam deinceps prætermiſit. De mutanda religione nihildum ſanè cogitans, quin potiùs palàm affirmans ſe ad hanc mutationem nunquam adductum iri; ſed æquitatis ſtudioſa mens faciebat, ut virtutem in concionatore catholico diligeret.

Hæc omnia poſtquam DEI ſervo renuntiata fuere, intellexit quanti momenti eſſet, Eccleſiæ catholicæ reddere feminam tantæ dignitatis & famæ; rémque DEO impensè commendatam aggredi conſtituit. Opportunitatem cum ea colloquendi non difficilè nactus, tam religiosè, comitérque in ſermonem ingreſſus eſt, ut ejus virtute congreſſúque capta, eundem iterum videre ſummo ſtudio expetierit. Ac primus quidem ille ſermo totus in rebus ad pietatem ſpectantibus verſatus erat, nullâ mentione factâ eorum capitum, quæ Catholicos inter & Calvinianos veniunt in controverſiam. In altero colloquio ſenſim inducta eſt in diſputationem. Objecit multa; multa quæſivit: omnibus ità reſpondit vir ſanctus, ut quamvìs ejus rationibus convictam ſe non omnino fateretur, dicentis tamen modeſtia & eruditio ipſi planè ſatisfecerint; nec dubitavit confiteri catholicum neminem à ſe auditum, qui myſteria noſtra tam dilucidè ac luculenter explicaret; útque tertiùm ad ſe rediret rogavit. Regis initio tam felici lætus, reviſit illam poſtridie. Plurimos ſacræ paginæ locos mulier, in Calvini ſchola non rudis, citavit, quibus confirmari Calvinianum dogma videbatur. Eorum genuinum ſenſum tam enucleatè Regis evolvit, ut quod objiceret illa nihil habuerit. Interim, DEO miniſtri ſui diligentiam & ſolicitudinem adjuvante, veritas, poſt hunc congreſſum & alios duos, qui ſunt conſecuti, caligantibus oculis interlucere cœpit. Utque erat amans recti, ſtomachum ipſi præcipuè movebat mala Miniſtrorum hæreſeos fides, qui falſis coloribus depingentes catholicam religionem, ei dogmata, quæ nuſquam docebat, affingerent. Hinc diffidere ſectæ cœpit, quæ tam indignis ac putidis artibus ad inueſcandam ſimplicium credulitatem obreperet. Indè verò ſervi DEI ſanctitas acres non improbæ mulieri ſtimulos admovebat. *Fierine poſſet*, inquiebat, *ut homo tam perſpicax, tam humilis, tam ſoli-*

ſolicitus de divina gloria, tam ſuorum commodorum negligens, verſaretur in errore, aut alios in eum inducere tentaret? Lib. IV.

Quàm difficile eſt opiniones, quibus, natalium & educationis vitio, imbuti pravè ſumus, ſubitò deponere! Ludovica *de Romezin* aliquandiu inter veritatem & mendacium miſerè anxia fluctuavit, vocem decretoriam mittere trepidans, & ſententiam pro catholica religione ferre. Longè ab illis mulieribus obſtinatis diſcrepabat, quæ ſectam ſemel amplexæ, ſic illam retinent mordicus, ut apertis rationibus nihil præter inexpugnabilem pertinaciam oppònant. Veritatem bonâ fide inveſtigabat, ſemel cognitam omnino ſecutura; ſed cavebat nè quid inconſultâ feſtinatione peccaret, ipsámque præcipitis poſtea conſilii pœniteret.

Caligabat adhuc paululùm in uno capite, quo ſcilicet Chriſtum reipſa præſentem in ſanctiſſimo ſacramento fides docet. Caliginem pæne momento DEUS diſcuſſit. Simul ac ſacerdos eruditus expoſuit quàm plurimos Euangelii & ſanctorum Patrum locos qui hoc myſterium perſpicuè demonſtrant, illæ tenebræ, quibus obvoluta veritas tenebatur, evanuerunt. Expugnatâ hunc in modum mente, voluntas, nondum domita, repugnabat. Mutationis pudor, propinquorum & amicorum fuga, contemptus, odium, à quibus deſerendam ſe videbat ſtatim atque Calvinum deſeruiſſet; jactura loci honorati, quem obtinebat inter ſectæ primores, à quibus pæne inſtar idoli colebatur; ſermones quos datura eſſet populo; in primis verò amantiſſimi patris ira, cui moleſtiſſimum id fore ſentiebat; matris cariſſimæ dolor, quam ad deſperationem adigeret. Hæc, aliáque id genus, animo dies noctéſque obverſantia, totidem vincula erant, quibus arctiſſimè conſtricta tenebatur, & quibus frangendis imparem ſe eſſe judicabat. Inteſtinum hoc animi bellum viro ſancto aperuit, qui tam efficaci oratione declaravit ipſi neceſſitatem ineluctabilem veritatis amplexandæ, repudiato mendacio, ut humanis terroribus generosè ſuperatis, in Eccleſiæ ſinum redire omnino decreverit. Negotium tamen ut occultè tranſigeretur optavit; dandum hoc exiſtimans familiæ, quæ graviter ſtomacharetur, ac fortaſſe anſam indè arriperet ad ſæviendum in Catholicos, ſi ambitioſo ſtrepitu ſtatim res prodiret in vulgus.

Ubi dies advenit ad hæreſim ejurandam conſtituta, illi nuntium remiſit eâ pietate, quæ lacrymas omnibus qui aderant, expreſſit. Ipſa triumphare gaudio viſa, cùm ſe in filiorum Eccleſiæ numerum cooptatam vidit. Expleri verò non poterat agendis

Lib. IV. DEI ſervo gratiis, quem tanti beneficii auctorem profeſſa, obſecravit ut operi ſuo manum extremam adderet, ſibíque dux ad Chriſtianæ vitæ perfectionem eſſe non gravaretur, ut morum innocentia ſanctitati religionis, à ſe modò ſuſceptæ, reſponderet. Ille, mulieris animum ad omnes virtutum ſatus excipiendos tam bene comparatum cernens, peculiarem adhibuit curam ut eandem ad vitæ ſpirituali exercitationes rite formaret; in iiſque, tanto rectore, magnos brevì progreſſus habuit.

Cùm probè intelligeret Regis quantùm ad religionis dignitatem & fructum pertineret ut feminæ tam illuſtris receptus ad Eccleſiam in publicam prodiret lucem, id magnopere cupiebat. Igitur, poſt aliquot menſium moram, jam inquit, tempus eſt in apertum proferre, quod ad hanc diem clàm habuiſti, & ſuſceptam fidem ſolemni profeſſione declarare. Quæ hactenus fuerunt à te proviſa ſapienter ad vitandam parentum offenſionem & ſtomachum, ea certis circumſcribi limitibus debent. Illi demum diſcipuli Chriſto probantur, qui non erubeſcunt Euangelium: * illóſque *coram Patre ſuo*, ùt ipſe profitetur, *erubeſcet*, * *qui ſe coram hominibus erubuerint.*

* Rom. 1.
* Luc. 9.

Prudenti conſilio morem ſponte geſſit mulier verè catholica. Publicè denunciavit ſe, relictâ novâ religione, ad veterem rediiſſe; ac deinceps in ſuis moribus, in colenda pietate, in frequentando SS. Euchariſtiæ Sacramento, in fugiendis rerum caducarum & profani ſeculi oblectamentis, ſplendidum Chriſtianæ perfectionis exemplar veteranis æquè ac recentibus Catholicis exhibuit. DEUS viciſſim ejus in accipienda & bene collocanda gratia fidem expertus, cæleſtibus illam deliciis, quas impetiri ſuis ſanctis ſolet, cumulavit; támque liquidis inter precandum delibuta gaudiis erat, ut iis neque exprimendis vox, neque mens capiendis, par eſſet.

His munienda propugnaculis meritò videbatur, ut quæ inſtabant, prælia ſuſtinere poſſet. Ejus parentes auditâ ſolemni, quam ediderat fidei profeſſione, velut icti fulmine, diriguerunt. Hæretica factio in eam, & in DEI ſervum, tanquam dementis tranſfugii principem atque architectum, atrociter eſt invecta. Omnes deinde machinæ, doli, captiones, admotæ ad labefactandam feminei pectoris conſtantiam: ſed fides, quamvìs recens fundata, & munita, ſævos oppugnantium impetus inconcuſſa atque immota propulſàvit. Parentes expugnandi ſpe ademptâ, negotium illi præterea faceſſere deſierunt.

At

At ſpes in quam adductus fuerat Chriſti famulus fore ut exem- Lib. IV.
plum lectiſſimæ feminæ ad multorum ſalutem valeret, nec irrita fuit, nec lenta. Suſcepta tam apertè, tam conſideratè religio catholica, eadémque integerrimis ornata conſtanter moribus, ingentem catholicis lætitiam, Calviniſtis non paucis, Chamboni & aliis in locis, ſtimulos acres ad imitandum ſubjecit. Eorum non pauci nominantur in Actis Canonizationis. Ipſa tam ſtudioſa modò religionis veræ tuendæ, ac propagandæ, quàm fuerat antea falſæ, partes & munia implebat concionatoris & Apoſtoli. Præclara opinio de illius virtute magnum ejus verbis pondus addebat; tum autem nihil aggrediebatur niſi de ſententia ſancti ſui rectoris, cui ſe ſociam, & adjutricem ubique præbuit, præſertim in Miſſionibus ab eo practis in Montefalconis, Rocullis, Veirinii, & Laloveſci, ubi Euangelici curriculi, ac vitæ metam, vir beatus invenit.

Anno 1702. cùm ageret ipſa annum 84. optavit publicum de ſanctitate ſervi DEI teſtimonium dicere coram Epiſcopis Anicienſi & Valentino, qui Acta Canonizationis, & proceſſum, ùt vocant, inſtruebant Monaſterioli (loco nomen vernaculum eſt *Moniſteroles*) Abeſt hic locus ſpatio leucæ duntaxat à Monteregardo, ubi Ludovica degebat. Hoc iter, licèt ſatis impeditum, licèt affectâ jam ætate, pedibus & jejuna conficere voluit. Dum diceret teſtimonium, quod per horas quatuor tenuit, totidem pæne lacrymas præ gaudio, quot verba, fudit. Mirati ſunt duo Præſules in tam gravi ætate, vim ingenii, memoriæ fidem, & innatæ copiam facundiæ. Illud præ ceteris ſuſpexere, quòd, cùm ſermonem produxiſſet ad horas quatuor, cùm tria paſſuum millia pedibus & jejuna confeciſſet manè, affirmavit nihilominus, ſi proficiſcendum ſibi Anicium eodem die fuiſſet, hoc eſt, ſi conficienda ampliùs viginti paſſuum millia, ut pro veritate teſtimonium rurſus diceret, non dubitaturam dare ſe ſubitò in viam, ad enarrandas ejus egregias virtutes, quem, ſecundùm DEUM, auctorem ſui ad Eccleſiam regreſsûs ac ſalutis, agnoſceret. Tam beneficii memor, tam gratus erga DEI ſervum animus ejus erat!

Armandus *de Bethunes*, tunc Anicienſis Epiſcopus, qui non minus honoris habebat illius virtuti, quàm generi, ſcripſit ad ſummum Pontificem, viſam juveneſcere, ac vires novas recipere; non potuiſſe verò, cùm teſtimonium diceret, à lacrymis temperare, quoties magiſtri cariſſimi nomen appellabat. Ejus filius annum agens ſeptuageſimum ſecundum declaravit etiam non ità pridem,

Lib. IV. matrem suam ingravescente jam senio, annos octo & octoginta natam, nunquam de P. Regis sermonem intulisse, quin multo fletu sermonem aspergeret. Juvat ipsam loquentem audire. Quippe ex iis, quæ pro testimonio dixit sexto Idus Octobres anni 1702. faciliùs intelligi poterit egregia præstantis feminæ indoles, & simul quàm præclarè de servo DEI existimaret.

Testimonium Ludovicæ de Romezin *de sanctitate B. Regis.*

Elucebat in P. Regis, inquit, *ipsi concessa divinitus præcipua dos homines à peccato ad pœnitentiam, ab hæresi ad obedientiam Ecclesiæ, revocandi. Utrosque excipiebat modestia singulari & humanitate, eóque pacto attentos ad audiendum, & dociles ad obtemperandum præstabat. Simul atque miserat vocem, divino plenus esse spiritu judicabatur. Qui primus ejus sermo veritatem mihi catholicam explicuit, idem errores omnes, quos cum lacte hauseram, dispulit. Fateor nihil deinde à me auditum vel accommodatius ad docendum, vel ad persuadendum efficacius. Euangelica, quæ proponebat, effata, non tam per aures in animum demitti, quàm ipsis oculis subjici, ac propè manibus tangi, videbantur; vel potiùs sentiebatur DEUS potentissima gratiæ voce intùs loqui, cùm ejus vox ad aures accederet.*

Permagnum ejus verbis pondus afferebat austeritas vitæ: diurnas horas, ac plerasque nocturnas in templo consumebat; adeò ut sæpe à Parochis, ipsisque agrestibus, cogeretur paulò ante mediam noctem, è sacro pœnitentiæ tribunali discedere, cibi capiendi causâ. Quin, biduum quandoque traducebat cibi omnis expers, totásque hebdomadas impastus exegisset potiùs, quàm oblatam juvandi proximos occasionem omisisset. Tota ejus victûs ratio continebatur aquâ, & pane secundario, qualem servis damus: his interdum addebat oluscula, & paulum lactis. Si quid illi piscium mittebam, continuò in pauperes dividebat, nam ut carnes mitterem nunquam mihi in mentem venit, quippe quarum usum ab eo sibi penitùs interdictum scirem.

A Monteregardo procurrebat per vias, visu incessúque horridas, ad erudiendos agrestes, nostris in montibus dissipatos. Nulla de temporis asperitate, aut difficultate itineris, querela: imò nunquam lætior videbatur, quàm cùm gravioris aliquid incommodi toleràsset.

Accidit aliquando ut templo egrediens, ubi plurimùm laboris exhauserat, multitudinem agrestium foris accurrentium conspiceret. Rediit continuò in templum, neque indè discessit antè, quàm om-

omnium confessiones excepisset. Tot virtutes tam longè vulgarem Lib. IV.
egressæ modum, animos omnium ipsi mirè conciliabant; indè sancti nomen illi vulgò factum. Certè persuasum erat omnibus nullum hæreticum, nullum flagitiosum, aut ejus diligentiam effugere, aut sanctimoniæ ac mansuetudinis illecebris posse resistere.

In Montisregardi Missione multis Calvini discipulis eripuit errorem, quorum in numerum venisse me singulari meâ felicitate factum reor. Initio celatos parentes meos volui de impio Calvini errore, quem ejuraveram, ut omnem fragoris ac tumultûs indè orituri, & excitandæ fortasse in Catholicos vexationis acerrimæ, occasionem præciderem. Sed quanquam versarer in medio nationis pravæ, *& in hæreticæ familiæ sinu*, sacrum *tamen fidei meæ* depositum custodivi * *Per causam salutandi nobiles, in vicinia Montisregardi, adibam proximorum pagorum Parochos, & apud eos* * 1. Tim. 6.
peccata deponebam, mox in eorum templis, nemine conscio, panem Eucharisticum sumebam. Postquam felix meus ad Ecclesiam reditus vulgari cœptus est, ingens à parentibus, & amicis procella in me incubuit. Vim ejus omnem excepi & sustinui fortis in fide, * *quam à sancto magistro meo & rectore didiceram. Itaque nec* * 1. Petr. 5.
preces nec lacrymæ matris mihi carissimæ; nec stomachus & minæ patris, quem verebar æquè ac observabam, unquam extorserunt ut ullam è perniciosæ sectæ, à me derelictæ, cærimoniis inanibus obirem. Quin etiam videbar mihi catholicam religionem, profuso sanguine, libentissimè defensura; atque ità deinceps, nisi me fallit animus, comparata semper fui. Duæ res (pergit fortis & pia mulier) *potissimùm adjuverunt, una, ut religionem catholicam susciperem; altera, ut susceptam constantissimè retinerem. Primùm, viri sancti lenitas & admirabilis patientia. Licèt enim verissimis & gravissimis ejus rationibus convicta, manus dare cogerer, non cessabam tamen illi objicere agmen locorum è sacris paginis sumptorum, quos memoriæ mandatos, tanquam in aciem educebam pertinaciâ muliebri, ac furore potiùs. Ibi moderationem hominis admirata sum. Nullum ipsi verbum excidit, quo mihi crearet molestiam, aut superbiam meam contunderet. Audiebat omnia perbenignè, ac modesto interdum risu pervicaciam in tuendo errore increpitare satìs habebat. Alterum, meam de Eucharistiæ mysterio valde confirmavit fidem, & simul viri sancti pietatem declaravit. Montemregardum ingressus primis se intendentibus tenebris, non itineris defatigationi, non frigori quo pæne confectus erat, le-*

Lib. IV. *vamentum ullum quæsivit, verùm ad templum rectà contendit, pro cujus foribus clausis orans complures horas perstitit, à frigore invictus, cujus illâ hieme vis fuit longè gravissima.* Ea sunt quæ de virtutibus heroicis B. Regis rite testificata est Ludovica *de Romezin* coram Armando *de Bethune*, Episcopo Aniciensi; & Guillelmo *de Champigni*, Episcopo Valentino.

Missiones circa Montemregardũ exeunte anno 1639. Hunc in modum feliciſſimè peractâ Missione Montisregardi, servus DEI, Anicium æstate, ùt consueverat, regressus anno 1639. Autumno ejusdem anni senescente retulit se ad hibernas Missiones circa Montemregardum, Islenjaum, Marcoum, Chambonum, & Monasteriolum, ubi obiter duntaxat concionatus erat. Consuetos labores, ardorem, & vigilantiam, consueta quoque animarum utilitas, & successus est secutus; ut intelligitur è litteris P. Arnoux Rectoris collegii Aniciensis ad P. Mutium Vitelleschum Præpositum Generalem Societatis, datis sexto Idus Januarias 1640.

P. Joannes Franc. Regis, inquit, *amplissimam ab Aniciensi Episcopo potestatem obtinuit, ad ejus diœcesim solitis Missionibus excolendam. Promptum non est explicare quàm lætas, quàm uberes, ex animarum cultura fruges indefessi hujus operarii zelus Apostolicus collegerit. Populi tanta frequentia, & Missionarii pervigilis labor tam assiduus extitit, ut minùs quatuor mensibus solus audierit decem minimùm millia confessionum, quarum ampliùs quingentæ totam vitæ seriem erant complexæ. Meritò nescias magisne mirari libeat tam ardens in populo studium salutis sempiternæ, an tantam in servo DEI alacritatem, sollicitudinem, patientiam, ut populi commodis ac pietati serviat.*

Missio in Montefalconis initio anni 1640. Jam dudum cupiebat Montifalconis operam navare, illectus spe opimæ messis. Distat hoc oppidum Anicio leucis septem, insigni prætoris jurisdictione, quam balliviatum vulgò vocant; lectâ & frequenti nobilitate, lautis & locupletibus civibus quàm plurimis, ornatum. Illuc pervênit sanctus Missionarius sub finem Januarii anni 1640. Anteverterat venientem innumerabilis populi turba, è circumjectis locis collecta. Votis ejus ac zelo respondebat successus, cùm repentina clades interrupit laborem & spes egregias profligavit.

Oppidum invasit pestilentia furore tanto, ut intrà paucos dies robustissimi conciderent. Mali contages ad sanos momento permanabat; nihil in arte humanísque remediis præsidii. DEI servum incredibili dolore affecit populi calamitas. Crescente malo,

co-

coactus intermittere ministerii sui functiones, hac unâ consolatione dolorem suum sustentavit, quòd speraret se moriturum, instar caritatis victimæ obsequio peste contactorum devotæ. Hortantibus plurimis ut egressus oppido, saluti suæ consuleret, respondit se nullo mortis metu adductum unquam iri, ut eos desereret, quos DEUS curæ suæ credidisset: nihîlque cunctatus Ludovicum *de la Grevol*, oppidi Parochum, rogavit sibi ut per eum liceret devovere se obsequio laborantium. Diu repugnavit Parochus, satìs gnarus eum voti compotem facere, aliud nihil esse, quàm eundem in discrimen certissimum necis, ùt erat vitæ prodigus, conjicere. Ad extremum tamen populi sui necessitate durâ, & servi DEI repetitis precibus impulsus, quod petebat, annuit. Quàm miserabilis erat civium status, tam admirabilis fuit Beati viri labor ad eos sublevandos. Sui contemptor, & periculi securus, omnium ægrotantium curam unus suscepit. Lustrat diu noctúque infectas domos; ubique præstò est jacentibus; aliis remedia, aliis alimenta, universis quamcumque res tulit, opem subministrat. Si quis prætereunti occurrebat derelictus æger, hunc amantissimè complectens, imponebat humeris, & in valetudinarium deportabat. Quid non molitur Apostoli zelus, quid non audet?

Lib. IV.

Devovet se obsequio peste laborantium.

Ejus exemplo rursum accensa, quæ intepuerat, multorum sacerdotum caritas, ad imitandum exarsit, & gloriosi pariter ac periculosi laboris in partem venit. Quamvìs inter putres halitus, & ora fetentia, pestilentem auram continuò duceret; quamvìs ferè omnes qui ad moribundos accedebant, ulcere letifero ferirentur, contigisse haud sinè miraculo creditum est, ut illi valetudo & vita constaret. DEUS nimirum invigilans servo suo, eum ad publicam utilitatem salvum & incolumem servabat. Unus ipsum angebat dolor, quòd se in omnes dividere, omnibúsque satisfacere, nequiret. At ejus dolorem cumulavit Parochus, cùm animadvertens eum nullâ cautione adhibitâ, mortem lacessere, vetuit nè præterea laborantibus adesset. Id porrò hac ratione contigit.

In mortis discrimen promiscuè se conjicit.

Nonnulli è Clero, Regis exemplum & caritatem imitati, morbo correpti perierunt. Multorum ardor refrixit illorum obitu, qui novas contrà DEI famulo subjecit faces, novos ejusdem curis & assiduitati stimulos addidit, spreto fortiter discrimine, quod quisque ipsi timebat. At sacerdotes, quos à curandis ægrotis metus absterruerat, Parochum convenerunt, & per speciosum publici commodi nomen, at reipsa ut suæ debitum ignaviæ pudorem levarent,

Lib. IV. rent, seriò Parochum monuerunt ægre totum oppidum ferre, quòd Patrem Regis, hominem scilicet quantivis pretii, manifestum vitæ discrimen adire pateretur. Non esse committendum ut diutiùs in urbe remaneret. Id prudentiæ, id caritatis legem postulare. Parochus, cui curæ & cordi salus P. Regis erat, non difficilè monentibus est assensus. Nè quid tamen præproperè decerneret, néve populus conqueri jure posset ereptum sibi nulla satis gravi de causa hominem adeò necessarium, placuit exquirere sententiam Joannis *de Chabanacy*, notæ nobilitatis & sapientiæ viri, quem Patris Joannis Francisci amicissimum esse constabat. Primùm illud ambobus minimè dubium est visum, si Regis pergeret habenas laxare pietati suæ ac zelo, futurum ut brevì, ceterorum more, succumberet. Hoc posito, consideràrunt hinc quidem, si discedere cogeretur, spoliandos cives solo, quod illis restabat in tanta calamitate, solatio: indè verò non esse consentaneum, nè quid civitas una pateretur incommodi, tot alias privari auxilio, quod ipsis ad suarum profectum animarum afferre viri sancti labor & incolumitas posset; salutem & commodum integræ provinciæ anteponendum privatorum aliquot solatio & utilitati.

Jubetur à Parocho curam laborantiū deponere. Hæc ratio potior visa. Itaque vocat sanctum Missionarium Parochus, eíque denuntiat cedendum oppido; se invitum huc descendere; illius quidem discessum omnibus incolis molestum fore; sibi verò eundem esse permolestum; at conscius gravis culpæ mihi viderer, inquit, si pergerem te in periculum inferre, quem salvum & incolumem esse, totius regionis interest: ac mihi Rector tuus meritò succenseret, si te diutiùs tam evidenti exitio committerem.

Regis, imperio tam inexpectato attonitus, aliquandiu obmutuit. Mox ad Parochum conversus, *Siccine*, inquit, *invides felicitati meæ? Siccine falsâ commiseratione ductus, oblatum mihi pretiosæ mortis meritum doles, & coronam quàm habeo ferè præ manibus, eripis? Malum & periculum esse gravissima confiteris, ergo mihi ob eam vel maximè causam manendum est, ut laborantibus opem feram. Quid miseris, quæso, fiet, si eos in tanto periculo destituam? Illorum animæ, & earum salus millies meâ mihi vitâ carior est.* His adjecit alia plurima quæ caritas Apostolica suggerebat. In vultu, in sermone, dolor, quo intimis sensibus angebatur, eminebat: crevit ille majorem in modum ubi Parochum nullis precibus, nullâ obtestatione victum perseverare in sen-

ſententia vidit. Nihilominùs cùm haberet perſuaſum nullam offerri DEO victimam gratiorem poſſe, quàm animum quodam quaſi obedientiæ cultro mactatum, morem geſſit imperio Parochi, quem tanquam divinæ voluntatis interpretem ſpectabat. Lib. IV.

Mœſtiſſimum oppidum, inter plangentis populi gemitus, ipſe mœſtiſſimus deſeruit. Parochus & optimates cariſſimum parentem comitari, & magnam cum eo viæ partem conficere voluerunt. Occurrit erecta crux ad ducenteſimum ab urbe paſſum. Ibi poſitis humi genibus aliquandiu oravit, & aſſurgens, manantibus lacrymis, oppido bene precatus eſt. Prout aliquantum viæ procedebat, oculos mœrore ac fletu ſuffuſos urbem versùs, & cariſſimos, à quibus avellebatur, filios reflectens, triſtes gemitus edebat. Cùm autem Parocho & ejus comitibus ſupremum valedicendum fuit, ingens utrinque coortus mœror. Ejus affuſi genibus oraverunt ut omnibus bene precaretur, eóſque ſuis apud DEUM precibus commendatos haberet: ipſe ſingulos ſuaviſſimè complexus, lacrymis ſuis perfudit. Tunc arcano ſe inſtinctu impulſum ſentiens ut pro iis peſtilentiâ liberandis Numini ſupplicaret, paulùm ſe collegit orandi causâ; & ſtatim ſereno vultu, *Macti animis*, ait, *cariſſimi; quæ veſtram urbem populatur plaga, brevì conſaneſcet.* Exceptæ ſunt voces inſtar prædictionis; lenivit metum ſpes promiſſæ & expectatæ ſanitatis, & civium animos vel abjectiſſimos erexit. *Oppidum mœſtiſſimus deſerit.*

Regis viciſſim, monſtrato quaſi per caliginem lumine, ac ſpe injectâ lætus, Montemregardum illo die petiit. Poſtridie, ac ſequentibus diebus vicinam Montifalconis viam ingrediens, in locum editiorem evadebat, unde proſpectus totum patebat in oppidum. Ibi ardenti prece Patrem miſericordiarum obteſtabatur, ut miſeram gentem pretioſo filii ſui ſanguine redemptam benignè reſpiceret. Ità diu ac multùm precatus, ter oppido ſublatâ manu benedicebat. Non longa fuit prædictionis implendæ mora. Nondum elapſo triduo abiit omnino peſtis, & iis ipſis, quos invaſerat, valetudo rediit. *Suis precibus urbem peſtilentiâ liberat.*

Inutilis Montiregardo Regis præſentia non fuit. In oppidum peſtilentia triſti contagione prorepſerat, & quamvìs multò mitiùs, quàm in Montefalconis, ſæviret, materiam tamen exercendæ caritatis in ſublevandis ægrotantibus, ſanè gravem & laborioſam ſervo DEI obtulit, gratulanti repertam in Monteregardo lauream, quam ſibi perquam invito amicorum timida benignitas in urbe vicina eripuerat. Statim atque reſcivit peſtilentiam Monte- *Peſte laborantibus operâ navat in Monteregardo.*

 teſal-

Lib. IV. tefalconis decessisse; illuc rediit ad instaurandas intermissæ Missionis exercitationes. Redeuntem excepit publica lætitia. Personabat civitas vocibus plaudentium: hunc patrem, hunc liberatorem suum omnes prædicare, illíque sanitatem & vitam acceptam referre. Sic affectos incolas nactus, animos quocumque voluit inflexit. Nusquam major numerus redeuntium ad bonam frugem; nusquam reditus sincerior: nec dubitabat fateri nullam Missionem tantum sibi voluptatis attulisse.

Montemfalconis repetit, intermissámque Missionē instaurat.

Dum laboris Euangelici dulcissimos fructus in horreum Patrisfamilias condere pergebat, novus obex necessitatem rursus interrumpendæ Missionis imposuit. Anicii Rector illi properè significari jubet, nè cunctetur advolare ad implendum vacuum Professoris in collegio locum, cui subrogari aliquem alium confestim oporteat. Facilè quisque intelligit quàm durum accidere sancto Missionario debuerit, maturam messem, cùm jam feliciter succidebatur, abrumpere. Ipsa res hortari videbatur, ut dolorem justum superiori suo exponeret, nec ea reticeret quæ Apostolici zeli facundia libertásque suggererent. Sed obedientiæ meritum vir sanctus ceteris omnibus semper antetulit. Frustrà Parochus rogavit ut iter, bidui spatio, non amplius, procrastinaret: daturum se interim operam ut Rector de rerum statu doceretur. Nullam interponi moram passus est vir obediens, & neglectâ tempestatis asperitate, viam illâ ipsâ die pedibus arripuit, summo incolarum omnium mœrore, quem consolari nihil potuisset, nisi se autumno sequentis anni rediturum esset pollicitus.

Missionē Montisfalconis rursum abrumpere cogitur.

Ubi primùm Anicium attigit, litteras ad Præpositum Generalem dedit, quibus postulabat, sibi ut per eum liceret reliquum vitæ tempus in rusticanis Missionibus consumere, adeò ut in iis saltem sex menses singulis annis collocaret. Extant litteræ in tabulario domûs Professorum Romæ. Appositam diem habent Kalend. April. 1640.

Eò confidentiùs ad Reverendam Paternitatem Vestram scribo, inquit, *quòd scio illi maximè cordi esse unum quod hac epistolâ summis votis efflagito: scilicet mihi ut liceat obeundis ruri pagis, quod superest vitæ & virium saluti rusticorum devovere. Certè non potest explicari quos pariant fructus hujusmodi Missiones; nec id mihi persuaderem, nisi expertus id ipse essem: atque utinam experiri sæpius contigisset. Obtestor igitur per DEUM, ut mihi liceat saltem singulis annis, quinque aut sex menses in hoc divino ministerio*

Obtinet à Præposito Generali Societatis facultatē sex menses collocandi quotannis in rusti-

sterio ponere. Episcopus Aniciensis dedit mihi amplissimam potestatem in totam suam diœcesim. Complures parochi, populique summis precibus Missionem postulant. P. Rector operam meam in suo collegio necessariam existimans, in eo me identidem occupatum tenet, dum agrestis multitudo jacet in pagis præsidio destituta. Consideret, quæso, vestra Paternitas, urbium incolas abundare panibus, ubi miseri rustici male pereunt fame, quia deest amica manus quæ divini verbi panem illis frangat. Confido fore ut meis votis paterna vestra benignitas annuat: ità meum dolorem de negata mihi Canadensi Missione consolabor. Reverende Admodum Pater, Reverendæ vestræ Paternitatis Humillimus in Christo servus Joan. Franc Regis. Anicii, Kalendis April. anni 1640. Lib. IV. *nis Missionibus.*

Præpositus Generalis, cui nota pridem Regis Apostolica virtus, quod petebat ultro concessit. Responsum Præpositi ad servum DEI perlatum est, quo tempore P. Joannes Fillæus Provincialis collegium Aniciense lustrabat. Is, de Præpositi Generalis epistola & assensu certior factus, vehementer lætatus est approbari ab illo & ratam haberi facultatem, quam ipse Patri Joanni Francisco jam concesserat: ad eúmque scripsit tertio Kal. Sextiles 1640. brevì repetendas à DEI servo solitas Missiones. *P. Regis*, inquit, *hoc anno per quinque menses, jussu Episcopi Aniciensis, in consueto Missionum curriculo desudavit, admirabili fructu, qui superiorum Missionum ubertatem longè superavit. Ad opus idem Euangelicum statim rediturus est, ut parochorum & populorum votis satisfaciat, à quibus certatim expetitur.*

Dum ejusdem anni æstatem exigebat Anicii, totus in emendandis peccantium moribus, & sublevanda egentium inopia, venêre ad eum frequentes legati ex omnibus agri Velauni, & plerisque Vivariensis agri partibus. Orabant ut regionibus suis partem aliquam soliti laboris impertiri dignaretur, ídque illi ut persuaderent, varias animarum clades, ac detrimenta pietatis fusiùs exponebant. Morum corruptela, inscitia religionis, quæ dolenter describebantur, summo illum mœrore affecerunt. Sed quid ageret solus in tantis malis? Post longos gemitus ad implorandam DEI misericordiam, dignum heroico pectore consilium animo informavit, nempe ut unum in cœtum congregaret complures Missionarios bene lectos, & eodem, quo calebat ipse, spiritu animatos, qui, agminis expediti more, arma doctrinæ Euangelicæ per Velaunorum, Vivariensium, & Gebennicos montes, circumferrent, bel- *Cœtum Missionariorum & sodalitatē conflare meditatur.*

 lúm-

Lib. IV. lúmque internecinum vitiis, impietati, & hæresi continenter indicerent, præsertim in montibus Gebennicis; hanc enim provinciam peculiari curâ censebat indigere, propter vastitatem & immanes ruinas, quibus per hæresim jacebat miserè deformata & prostrata.

Injectam sibi à DEO mentem conflandæ hujusmodi Missionariorum sodalitatis, ex qua prodirent excellentes operarii ad excolendas Velaunam, Vivariensem & Gebennicam provincias, Rectori suo aperuit. Addidit in collegio Aniciensi, aut Turnonensi, collocari seminarium posse, in quo ad functiones Euangelicas, homines illi Apostolici formarentur. Quod si non displicet consilium, inquit, non est laborandum de executione: in me recipio curam & onus inveniendi necessaria operi fundando tuendóque vectigalia. Summopere placuit Rectori consilium, seque litteras ad Præpositum Generalem daturum pollicitus, in hæc verba illi scripsit. *P. Joannes Franciscus Regis mihi significavit se magnum opus moliri, auctore, ùt apparet, DEO; nempe Socios sibi adsciscere meditatur strenuos plures Missionarios, quibuscum, collatis consiliis & curis, incumbat in erudiendos montium nostrorum incolas, qui miserabili rerum divinarum ignorantiâ laborant. Vix quisquam cogitando assequatur quo studio, quâ vigilantiâ, sanctus hic Missionarius Apostolica munia exerceat, & quàm præclaros ex illis fructus colligat. In postremis, quas obiit, Missionibus confitentes audire incipiebat tribus ante diluculum horis; neque finem imponebat huic sanctæ & laboriosæ occupationi, nisi pluribus post solis occasum horis. Sæpe accidit ut numerosæ agrestium catervæ, post confectas tota nocte quinque sexve leucas, jejunæ toto die insequenti perstiterint, quia potestas nulla propter affluentem turbam erat peccata deponendi, aut Eucharistiæ sumendæ, ante vesperam. Hinc intelligi facilè potest quæ fructuum ubertas futura sit, si meditatum opus ad exitum perducere, utì spero, possit, & unam in sodalitatem similes sui Missionarios congregare.* Præpositus Generalis mentem servi DEI vehementer probavit; ùt patet è litteris, quibus Rectori sic respondet. *Magna cum voluptate cognovi è R.æ V.æ litteris quàm utiliter, & fructuosè operam in Missionibus Pater Joannes Franciscus Regis collocaret. Nec minore lætitia sum affectus cùm ejus consilium rescivi de conflanda Missionariorum societate, agrestibus erudiendis unicè addicta, quæ illius Apostolico zelo & ampliora porriget spatia, & perpetuitatem quandam conciliabit. Vix credas quantum mihi probetur opus tam salutare.*

Hor-

Hortaberis illum meis verbis ut ei manum ultimam imponat. Vel Lib. IV. *ipsa operis idea & imago mirificè me recreat, & in spem magnam adducit summæ cujusdam utilitatis à populo capiendæ. Societati nostræ gratulor, ac nominatim Aniciensi vestro collegio, tam sanctos, tam gloriosos, hujus hominis Apostolici labores.*

In eandem ferè sententiam rescripsit P. Joanni Francisco Præpositus Generalis. Addit in extrema epistola, se piis ejus consiliis quamcumque posset, opem allaturum, ac potissimùm præcipit, ut se faciat certiorem in quo possit auctoritate suâ promovere sanctum & nobile opus, quod ipsi significaverat.

Hoc loco est observandum eandem injectam à DEO mentem fuisse hoc ipso anno 1640. P. Juliano *Maunoir*, excellenti pariter Missionario Societatis JESU è provincia Franciæ. Is, cùm jam annos 43. vixisset, informavit animo simillimum opus ad propagandas in Britannia Aremorica, quas felicissimè inchoaverat, Missiones; & habuit satis spatii ut operi culmen imponeret; ídque adeò solidis nixum est fundamentis, ut ab eo instituta Missionariorum Societas hodiéque vigeat, & Apostolicas functiones obire singulari cum fructu pergat. Quod attinet ad P. Regis, cujus attritæ exhaustæque laboribus, & voluntariis cruciatibus vires erant, ille solam operis tanti designati laudem tulit.

Instaurat Missionē Montis-falconis, Autumno anni 1640.

Instabat nihilo seciùs, & omnes indagabat vias, quibus opus ex sententia succederet, cùm albicantia jam nivibus montium cacumina monuerunt advenisse tempus hibernarum Missionum. Ergo, relicto Anicio, ubi æstatem exegerat, promissi memor, quo se Montemfalconis repetiturum fuerat pollicitus, huc iter flexit ineunte Autumno anni 1640. ad redintegrandam Missionem, bis in eodem loco intermissam.

Ubi primum felix de illius adventu nuntius percrebuit, exilire omnes ac triumphare gaudio. Cùm verò coràm intueri licuit Apostolum & liberatorem suum, (sic enim eum appellabant) nullus lætitiæ & festis cantibus, nullus lacrymis, quas tenera pietas eliciebat, modus fuit.

Novam sancto Missionario alacritatem hæc civium alacritas addidit: cúmque præsensisset arcano quodam instinctu se non abesse longè à curriculi sui metâ, nusquam sibi minùs pepercit, nusquam fructus uberiores decerpsit. Præter doctrinam Christianam pueris assiduè traditam, ter singulis diebus ad populum verba faciebat; reliquum tempus audiendis confessionibus, visendis pau-

Lib. IV. peribus & sublevandis, terebatur. Nulla in Missione populus ad pietatis exercitationes magìs assiduus, & frequens; in nulla promptior ad castigandam morum licentiam. Oppidani, alios in homines transformati, nascentis Ecclesiæ imaginem pulcherrimam exhibebant. Tam altè insculpta insidebat omnium animis opinio de sanctitate Missionarii, nemo ut illi dicenti repugnaret. Ad eum concurrebant omnes, ut sanctum viderent; sic enim loquebantur; omnes ardebant eundem alloqui, & quæ dabat ipsis monita, excipiebant venerabundi, perinde ac si fuissent ex ipsiusmet DEI ore profecta. Surripiebatur ipsi, quidquid usu domestico contrectâsset. Petrus *de Chabanacy* Montisfalconis medicus, clàm suffuratus ipsi scipionem, quo iter faciens utebatur, affirmavit hunc baculum ægrotis admotum, quo more sacræ solent adhiberi reliquiæ, morbos innumeros mirabiliter depulisse.

A Montefalconis transit Rocullas, & Veirinum. Postquam Montisfalconis incolas cœlestibus præsidiis per mensem integrum instruxit, Rocullas, atque indè Veirinum transiit, quibus in locis ejus caritas eodem ardore, nec dissimili fructu, longè latéque ad salutem animarum se profudit. Magna fuit hoc anno hiemis inclementia, sed nulla vis frigoris laboriosum tenuit operarium, quo minùs vicos omnes & mapalia pedibus obiret. Istarum, quas omnium postremas peregit, Missionum nullum specimen illustrius dare possum, quàm si verba ipsa Ludovicæ *de Romezin* hìc intexam, quæ illas velut in tabella breviter, at graphicè, depinxit in suo, cujus mentionem fecimus, testimonio. *Secuta sum*, inquit, *sanctum animi mei rectorem à Monteregardo ad Montemfalconis, Rocullas, ac Veirinum, cum aliis plerisque cujuslibet ætatis & conditionis. Testis fui, & magna pars agri Velauni mecum, nunquam ejus sanctitatem, nunquam studium salutis alienæ, splendidiùs, quàm in his ultimis Missionibus, enituisse.*

Res illi erat cum hominibus imperitis, rudibus, insulsis: in quibus nihil non asperum atque agreste; qui opportunè, importunè, in eum irruebant. Illos vir sanctus excipiebat admirabili suavitate, incredibili patientiâ auscultabat. Nulla de illorum gravi numero, aut narrationum inficeta longitudine, querimonia: imò etiam ad reculas ipsorum, & rei familiaris tricas percipiendas, atque componendas, maternâ quadam sollicitudine descendebat. Idonea curandis eorum animabus remedia, ùt cujusque status, & captus erat, adhibebat. Itaque successum solito feliciorem ejus labori DEUS indulsit, & in ea regione, cujus mores valde contaminati

ti erant, infinitos propè mortales è peccati ſordibus eduxit. Illorum benevolentiam & fiduciam arte mirabili conceſſa ſibi divinitus adjungebat. Neminem improbum diſcedere ab ipſo vidi, non perfuſum lacrymis, non ſerio dolore concuſſum. Nec in eo minus auxilii probis erat, quos inflammabat exemplis vehementiùs, quàm verbis. Totus ipſe divinum amorem ſpirabat, eóque ſtatim accendebatur, cuicumque illum intueri, aut alloqui contigiſſet. Ceteris cupiditatibus in illo velut mortuis, una vivere videbatur, DEUM amandi, & ad ejus amorem omnes adducendi. Lib. IV.

Poſt diem totum ſinè cibo potúque in laborioſis Evangelici miniſterii exercitationibus conſumptum, vulgò ſub veſperam abſtrahendus quaſi per vim erat à ſacro pœnitentiæ tribunali. Nemo capiebat quo pacto ſuſtentare vitam poſſet in tanto, tam aſſiduo labore; in graviſſimis quibus affiictare corpus conſueverat, cruciatibus. Benignè illum identidem admonebam, ſibi necem ipſum conſciſcere; futurum tandem aliquando ut natura tot laboribus victa fatiſceret. Verùm amor crucis nè me audiret prohibebat.

Jam ſalutaris doctrinæ ac perfectæ pietatis rorem per agros Montisfalconis, Rocullenſem, & Velinenſem abunde ſparſerat; novum laborem otii, & quietis immemor aggreditur, ac Miſſionem Laloveſci habendam ultimis Adventûs Dominici diebus, indicit. Tunc, DEO docente, perſpicuè cognovit Miſſionem hanc ſibi poſtremam fore. Quamobrem redire Anicium ſtatuit, ut animum colligeret per dies aliquot, rationéſque ſupremo judici reddendas componeret. Anicium revertenti occurrit collegii villa, in qua cùm adeſſe Patres illo die reſciviſſet, ingreſſus eſt ad eos ſalutandos. Tantò gratior ipſius adventus fuit, quantò minùs expectabatur; nonnulliſque dictitantibus eum ſcilicet adveniſſe ut natalitias Chriſti Domini ferias cum Patribus tranſigeret, negavit licere ſibi diu jucundiſſimo ipſorum conſpectu frui, indictam Laloveſci Miſſionem ad pridie Natalem Domini, expectari ſe à populo, quem non conveniebat commodi ſui causâ fruſtrari præſidiis ſpiritualibus ipſi promiſſis.

Divino lumine colluſtratus imminentem ſibi mortem cognoſcit.

Cum Patribus aliquandiu collocutus, ſeduxit unum è turba, quo familiariùs utebatur, & imminentem, inquit, obitum certis indiciis auguror; id ago ut ad noviſſimum hunc diem piâ dierum aliquot ſolitudine me comparem. Fac, obſecro, ut me conſiliis tuis in re tanti momenti adjuves. Aggreſſus Pater hanc illi mentem, & inſtantis mortis perſuaſionem eripere, ubi vidit rem con-

Lib. IV. ſtanter & affirmatè ab eo pronuntiari, minimè dubitavit quin ſe meliore vita brevì donandum, DEO ipſo monente cognoviſſet.

Ad mortẽ ſe comparaturus, in ſacram dierum aliquot ſolitudinem ſecedit.

Noctu Anicium ſubiit, nè quis eum rediiſſe cognoſceret, néve hominum concurſu pia, quam deſtinabat, ſolitudo turbaretur. Collegium ingreſſus, continuò ſe in cubiculum concluſit, in eóque triduum perſtitit, nemine ad familiarem congreſſum admiſſo; ſecum, & cum DEO, habitans, ac propheticum illud animo interiore verſans, *Cogitavi dies antiquos, annos æternos in mente habui.* * Jam terras deſeruiſſe videbatur, ac tanquam proximè ad ſupremum vadimonium, ſummúmque judicem venturus, nihil omiſit ut expeditam, & ad ſeveriores calculos probè ſubductam, totius vitæ rationem illi redderet. Exacto triduo, confeſſionem ab ultima ætate repetitam, ùt illo ipſo die moriturus, expoſuit ſacerdoti, cui deinde in familiari ſermone aperuit ardentiſſimum, quo flagrabat, DEI ſui poſſidendi deſiderium, & mentem æternitatis beatæ cogitatione votiſque defixam.

* Pſalm. 76.

Laloveſcum petiturus, & amicum valere jubens, quærenti an non rediturus in collegium eſſet ineunte Januario, ut Renovationi votorum intereſſet. *Id quidem*, reſpondit, *facerem non invitus: ſed redire me herus vetat. Pro certo habeo*, retulit amicus, *facturum te rem gratiſſimam P. Rectori, ſi præſtò ſis ad hanc cærimoniam obeundam; addo illum id percupere, ut pietatem noſtram accendas præſentiâ tuâ. Non mihi venit in dubium*, ſubjecit Regis, *P. Rectoris erga me voluntas: ſed iterum dico, nè revertar prohibet herus. Aderit Socius meus, ipſe non adero. Atqui*, inſtitit amicus, *nequaquam deceret ſtare te ſolum ruri. Sic erit tamen*, inquit Regis, *ſic herus jubet.* Quid lateret in hac oratione myſterii, amicus tunc aſſecutus non eſt; verùm decimo pòſt die, cùm de morte viri ſancti allatum eſſet, facilè intellectum fuit quid ſibi vellet, cùm ajebat per herum ſtare nè rediret. Pridie quàm diſcederet, nihil prætermiſit Rectoris cura ut eum Anicii retineret, tam importuna, tam tetrica temporis facies erat. Objicit viarum inexplicabilem difficultatem; vim frigoris intolerabilem adultâ jam hieme, inter horrendos & inacceſſos Laloveſci montes: hoc uno itinere valetudinem ipſius, quatuor menſium Miſſionibus & ærumnis debilitatam, profligari penitùs poſſe. Reſpondit Regis conſtitutam Laloveſci Miſſionem, datam populo fidem, quam fallere nefas eſſet: ceterùm ſe arcano impulſu, & potentiore quadam vi ad

ad discedendum urgeri. Quæ narrabantur aspera, & perpessu intolerabilia, hæc Apostolico viro in votis erant.

Compositis quibusdam, ad pauperes & Refugium spectantibus, negotiis, Anicio discessit undecimo Kalendas Januar. Lalovescum postridie perventurus. Quamvìs hic pagus septem tantùm leucis absit Anicio, nihilominus hoc iter à peditibus hieme confici, nisi biduo, non potest, ob effusos campis torrentes, & altissimos agri Velauni montes, tunc nivibus & glacie coopertos, ac vallibus difficillimis intercisos, adeò ut plerisque in locis ascensu perpetuo, descensúque, via & longior & molestior evadat.

Quid ærumnarum in hoc itinere pertulerit videtur fidem superare. *Viæ*, inquit Ludovica de Romezin, *tam difficiles erant, tam inviæ, ut vir sanctus coactus fuerit glaciem multis locis perrumpere, ut iter aperiret, & manibus reptando scandere nunc in præruptas cautes, nunc in angustos calles, lubricos, & præcipitiis ac voraginibus tremendis præcinctos, in quas corruendi periculum præsens & continuum imminebat.* Hæc totidem verbis dixit pro testimonio lectissima femina, quæ postremis emeriti operarii Missionibus interfuit, atque huic novissimæ Lalovesci, tribus tantùm leucis distantis à Monteregardo, ubi tunc ipsa morabatur. Ità rationes suas subduxerat Regis, ut Lalovescum decimo Kal. Januar. accederet; verùm eo ipso die itinere deerravit, & media inter nemora nox errantem oppressit. Diu evagatus deprehendit se Veirino non longè abesse, quo in pago Missionem paulò antè obierat; nec erat Lalovescus procul, & eò usque pergere summopere avebat: sed ità languebat de via, ut ad aliquod tugurium divertere necesse habuerit, ubi exhaustas vires quiete modicâ reficeret. Pulsat igitur casas ostiatim, cúmque, ùt apparet, nulli se cognoscendum præbuisset, nemo repertus est qui viatorem ignotum, intempestâ & perfrigidâ nocte admittere sustineret. Quæcumque fuerit istius inhumanitatis causa, videtur illa non sinè peculiari nutu DEI contigisse, qui cùm sit *admirabilis in sanctis suis*, servi sui virtutem, ùt aurum obryzum, expurgare sic destinaverat.

Lalovescum petit itinere difficillimo.

Defectus viribus, & ægre pedibus insistens, evasit denique ad semirutum & derelictum in pagi limite tugurium; vento, imbri, & hiemi, pervium. Ibi noctem exegit, stratus humi, & sævitiam omnem liberi Aquilonis excepit. Ut parietinas illas subierat sudore diffluens, concrevit frigore aspero constrictus sanguis, & lateris dolore gravissimo, simúlque acutâ febri, correptus est.

Pernoctat in tugurio semiruto, ac lateris dolore gravi corripitur.

 Cre-

Lib. IV. Crescebat interim majorem in modum dolor; sed hunc vicissim suavissima consolatio leniebat. Mapale ruinosum genuinam offerebat animo imaginem Bethleemitici stabuli, ubi Christus oppido toto pulsus, omnibus destitutus commodis, in orbem hunc prodierat. Illum summa cum voluptate intuebatur in stramine jacentem, nec cessavit totam noctem gratias agere superis, quòd sibi divini sui Magistri paupertatem & ærumnas persimili tempestate, persimili loco, liceret imitari. Spretâ doloris acerbitate, ac febris æstu, viæ se commisit primâ luce, & Lalovescum usque ægerrimè prorepens, eò demum manè pervenit nono Kal. Januar.

Missionē tamen inchoat Lalovesci.

Novissimi ejus & immensi labores: illum anima sæpius deficit.

Quamvis mortem conceptam sinu gereret, nullum tamen de morbo verbum cuiquam fecit, postremum vitæ mortalis actum saluti animarum consecrare gestiens. Populum frequentem, jam è vicinis collectum montibus, intuens, visus est morbi partem depellere, ac novas haurire vires. Itaque licèt semianimis & spiritum vix trahens, rectà pergit ad templum, & Missionem auspicatur à concione, in qua corporis imbecillitatem ardor animi superavit. Indè, nè sumpto quidem ad respirandum spatio, aures præbuit confitentibus toto die, nono Kal. Jan. ac totâ nocte insequenti. Ardens in intimo pectore caritas imbecillum corpus sustentabat, ità ut vires ex ipsa ducere imbecillitate videretur. Die Natali Domini, multò deteriùs valuit, nihilominus, ter ad populum verba fecit, ac reliquum diem in sacro pœnitentiæ tribunali sedit. Postridie, quæ lux Sancto Stephano sacra, licèt moribundus, licèt æstuans, atque anhelans, tres quoque conciones habuit; ac majore quidem, quàm unquam aliàs, contentione. Tertiâ concione peractâ, referebat se ad pœnitentiæ tribunal, sed illud numerosa turba sic obsessum tenebat, ut aditum aperire nulla vis potuerit. Ergo ante majorem aram ad confessiones audiendas consedit, è regione fenestræ nullis specularibus, aut ligneis repagulis, munitæ. Hîc exhaustis omnino viribus, & animâ deficiente, concidit. Domum parochi deportatus assedit ad focum. Post quartam horæ partem, recepto spiritu, cùm animus ingens, & labori cedere indocilis, parumper se collegisset, perrexit audire confitentes aliquot rusticos, qui eum in ædes parochi è templo secuti fuerant. Postremus hic Apostolici zeli conatus fuit: cùm enim iterum animo linqui cœpisset, jussus est in lecto se continere.

Totius vitæ noxas sacrâ con-

Statim accitus è vicinia medicus malum immedicabile primo aspectu judicavit. P. Jacobus Lascombes, collegii Turnonensis pro-

procurator, P. Chabru, & P. Audibert, Annonæi tunc versabantur, quod oppidum Lalovesco tribus tantùm leucis distat. Ad opem ægroto ferendam advolârunt, qui licèt ante dies octo, se se ad mortem comparans, totius vitæ noxas confessione sacrâ expiâsset Anicii, tamen easdem optavit iterum judicio sententiæque Patris Lascombes subjicere. Ille, post obitum viri sancti, hæc duo reliquit scripta, & rite declaravit. Primum, Patrem Regis ad supremum usque spiritum solidi judicii ac mentis integræ compotem extitisse: alterum, in ejus confessione totius anteactæ vitæ, non modò culpam letalem nullam à se observatam fuisse, sed nè leviorem quidem, quæ nec opinanti quodammodo non excidisset.

fessione purgat. Singularis ejus innocentia.

Regis, peractâ confessione, tertio Kalend. Januar. sacro viatico & extremâ unctione muniri postulavit. Quibus perceptis insigni pietate, quam caritatis æstus flagrantissimus accendebat, rogavit ut remotis arbitris liceret sibi cum DEO suo versari, cujus conspectu beandum se brevì sperabat. Haud ità multò pòst, oblatum sorbere jusculum recusavit, cùm diceret, se hactenus victitâsse pauperum cibis, iisdem etiam nunc usurum: & parùm lactis, pro illa pingui sorbitione, petiit. Quærentibus num quid præterea vellet, respondit, ut mihi parumper soli esse liceat.

Novissimus Sacramentis rite munitur.

Gravissimis doloribus cruciabatur: eos allevabat Christi crucifixi effigies, quam complexus manu, deosculari suavissimè non cessabat. Sua semper constitit serenitas ori; nemo visus unquam media in morte tranquillior; sua quoque voci libertas, sua menti, semper adfuit. Assiduæ preces, & sacri ardoris plenæ; dulcia cum DEO colloquia; crebri, tenerique affectus animi cælestem patriam suspirantis, totum occupabant.

Ingravescente in horas malo, à parocho & P. *Lascombes* postulavit, ut in stabulum deferretur, quo similior esset Christo in stramine nascenti, & eum imitaretur saltem in stabulo moriens, quem imitari non posset moriens in cruce. Negârunt per imbecillitatem virium, & morbi gravitatem licere ut in stabulum deferretur. Negatam sibi mortis conditionem optatissimam eâ cogitatione consolatus est, quòd mortem oppeteret inter pauperes & rusticos, quibus juvandis & erudiendis vitam omnem & labores addixerat. Eo nomine gratias ingentes agere superis sæpius audiebatur. Ultimam Decembris lucem summa in pace duxit, oculis & animo in Christum è cruce pendentem defixis. Sub vesperam, in ipso jam æternitatis limine positus, repentino gaudio præter

In stabulo mori cupit.

JESUS, & MARIA se viden-

Lib. IV. ter modum efferri visus est. Paulò ante mediam noctem aperiri cœlum conspexit. Christus JESUS, & Virgo Mater illi se videndos præbuerunt, ad cœleste regnum, & immortalis gloriæ coronam, invitantes. Hoc cœlesti viso sic est absorptus, ut inundantis lætitiæ vim intimo pectore continere nequiverit. Conversus ad Fratrem *Bideau*, socium suum, & velut ex alto mentis excessu emersus: *O me beatum*, exclamat, *mi frater! Ut libens ac lætus morior! Video JESUM, & MARIAM, qui mihi fiunt obviàm, ut me ad beatorum patriam deducant.* Pòst paulò, junxit manus, & sublatis in cælum oculis hæc disertè & clara voce pronuntiavit: Christe JESU, Salvator mi, in manus tuas animam meam commendo. Quibus dictis, placidè animam efflavit, circa mediam noctem ultimæ diei anni 1640. Annos quatuor & quadraginta minùs uno mense confecerat, quorum quatuor & viginti traduxerat in Societate, & ex istis, decem in Missionibus consumpserat. Videbatur tam sancta vita, tam Apostolica, nequaquam spatio tam brevi concludenda. DEO aliter visum, qui hominem ardore caritatis, & piis laboribus confectum, donandum æternitatis præmio, & *consummatum in brevi, tempora multa explevisse*, * judicavit.

dos morienti præbent.

Moritur: magno sui desiderio apud omnes relicto.

* Sap. 4.

Vix è vita cesserat, cùm lugubris fama per vicinos montes carmen triste inter plangentis populi lacrymas dispersit, *Obiit sanctus, sanctus obiit.* Licèt asperum anni tempus vias difficiles clauderet, brevì tamen Lalovescus ingenti hominum concursu, ad visendum sanctum Apostolum undique confluentium, redundavit.

Exequiarum pompam postero die peragendam, differri oportuit, ut populo satisfieret, ad figenda sacro corpori pia oscula turmatim procurrenti. De loco sepulturæ aliquandiu deliberatum. Alii deportandum censuerunt Anicium, aut Turonium, ad collegium Societatis, ut Patribus depositum redderetur, quod jure illis debitum videbatur. Alii judicârunt non sinè peculiari divinæ providentiæ consilio factum esse, ut Regis exuvias mortalis vitæ poneret inter eos populos, quos tam singulari benevolentiâ complexus, tanto studio erudierat. Vicit ea sententia, & Lalovesci sepultus est. DEI nutu profectò accidit ut conservaretur corpus in loco devio, & ad eam diem obscuro, ut DEO soli nimirum tribueretur gloria, qua servi sui tumulum honorare decreverat. Celebratum est funus quarto Nonas Januarias. Interfuerunt parochi duo & viginti. Movit admirationem tantus numerus, cùm nemo intel-

telligeret quo fieri pacto potuisset ut per montes avios huc illuc temere sparsi, confluxissent, quasi ex composito, ad justa sancto Missionario facienda. Solemne funeris modicum, pro loci obscuritate & inopia: concursus populi & publicus dolor, instar magnifici apparatûs fuêre. Pauperum gemitus mortuo parentant illustriùs, quàm panegyricorum calamistratæ laudationes, & Mausolæorum operosa monumenta. Quando corpus humo contectum est, erupit lamentabilis hujus immensæ multitudinis planctus, qualis solet esse filiorum, amissum patrem, & in eo perdita omnia, lugentium. Lib. IV.

Collocatum est feretrum prope majorem aram, ad latus Euangelii, & humo altiùs infossum, nè clàm refossum aliò deferretur. Aliquanto pòst, ne quid ad thesauri divitis custodiam desideraretur, altiùs in terram depressum fuit, & intertextis trabibus coopertum, nè qua vis aut dolus eò aspirare posset. Nec sanè defuerunt qui rem tentare auderent, sed excubans ad pretiosum pignus conservandum populi pietas, tentantium conatus, sumptis etiam armis, compescuit. Simul atque compositum tumulo corpus fuit, mira facta est animorum commutatio: versâ in venerationem tristitiâ, nemo de fundendis pro DEI servo precibus; omnes, arcano quodam impulsu moti, de flagitandis ejus precibus cogitarunt. Pulverem ex ejus tumulo sibi quisque certatim sumpsit, eóque avidiùs, quòd hoc pulvere, instar sacrarum reliquiarum, ægris admoto, complures morbos statim fuisse curatos compertum est. Par ad eum colligendum diebus insecutis concursus, par pietas fuit. Ex omnibus Lalovesci montibus gregatim incolæ concurrebant ad honorem cineribus sancti Apostoli habendum: omnésque fatebantur, quò propiùs ad ejus tumulum accedebant, eò vehementiùs venerationem suam & pietatem inflammari. Nemo viri Beati morte magis indoluit, quàm Ludovica *de Romezin*. Ad primum ejus nuntium, carissimo suo magistro justa solvit largo lacrymarum imbre; mox accurrit Lalovescum, ubi occupante doloris locum tenerrimo pietatis affectu, quid senserit, quàm dulci mistos gaudio planctus ediderit, ipsa sic testatur in Actis Canonizationis. *Publica ejus post obitum veneratio.*

Ut primùm in montibus nostris dissipatus est rumor de morte P. Regis, vicina regio ad ejus tumulum catervatim confluxit. Magno dolore sum affecta, quòd, cùm ejus ultimis concionibus interfuissem, mihi non contigisset adesse morienti. Ut ad meas aures tristis nuntius accidit, statim, relicto Monteregardo, Lalovescum, tribus

Lib. IV. *indè leucis distantem, profecta sum, ut sacros venerarer cineres patris animæ meæ, cui secundùm DEUM, acceptum referebam inæstimabile beneficium mei ad fidem catholicam & veram pietatem reditûs. Ædem sacram ingressa fossam vidi sanè profundam, in eàque feretrum viri sancti contectum humo. Percontanti quid esset causæ cur tantum spatii vacuum non implerent, responderunt fossam quidem, cùm primùm ingesta fuerat humus, æquatam fuisse pavimento templi, sed probiberi populum non posse confertis agminibus concurrentem, quin auferret partem aliquam terræ, quà feretrum operiebatur. Eam vix sufficere multitudini propè infinitæ undique adventantium: tam præclara omnium animos opinio de viri sanctitate pervaserat! Haud aliter affectam me sensi. Delapsa in ipsam sepulcri fossam, flexi genua, & humum beatam, quæ sacros tegebat cineres, sæpius exosculata, lacrymis rigavi. Quo perfusa gaudio tunc fuerim; quàm suavi, quam tenero pietatis sensu delibuta, eloqui non possum. Diutiùs ibi precata, nullius sancti opem mihi videor confidentiùs imploràsse. Ut recederem ægerrimè imperare mihi potui. Ut verò à dulcissimis liberatoris mei reliquiis longiùs nè abessem, statui domum ædificare Lalovesci, ut mortalis vitæ cursum apud ejus tumulum clauderem, quem vitæ sanctioris auctorem & magistrum habueram, & cujus apud DEUM meritis ac deprecatione adjuvandam me omnino confidebam. Eâ cogitatione dolorem discessûs mei & absentiæ consolabar. Sed cùm adhuc in potestate parentum essem, per eos mihi non licuit, quod animo destinaveram exequi.*

Urbis Aniciensis luctus de morte servi Dei.

Dolor de obitu servi DEI nusquam gravior & apertior, quàm Anicii, fuit. Statim atque cognitum est eum vitâ cessisse, ubique luctus, ubique consternatio, ut si cuique quod erat in vita carissimum periisset. Xenodochia, custodiæ, Refugium, cœnobia, viduæ, pupilli, amissum communem patrem, ereptum columen, solatium, consilium, paratum adversùs quælibet mala subsidium, denique omnia in uno sibi erepta lamentabantur. P. Ignatius *Arnoux*, collegii Rector, divinam rem pro mortuo fieri jussit, solemni ritu & apparatu, qui nusquam in Societate, nisi in exequiis Præpositi Generalis, usurpari solet: eique funebri cæremoniæ atrata civitas interfuit. Verùm, & Anicii, & in reliquis Velaunorum oppidis, brevì lacrymarum pœnituit, ac propè puduit. Omnes paratum sibi patronum in cœlo rati, votis illum ac precibus prosecuti sunt, præsertim in iis, ubi plurimùm versatus fuerat, locis, &

ad sacrum pœnitentiæ tribunal, ubi judicia de peccatis toties exercuerat. Quot capita, quot ora, tot præcones viri Apostolici, tot laudatores extiterunt heroicarum virtutum, quas in eo quisque observaverat. Rector Præpositum Generalem de illius obitu certiorem fecit Nonis Januarii 1641. his verbis. *P. Joannes Franciscus Regis complures pagos & vicos Velaunorum quatuor mensibus perlustravit, labore tam indefesso, & valetudinis tantâ incuriâ, ut ærumnis exhaustus decesserit, publico totius regionis luctu, maximè rusticorum & agrestium, quorum saluti totum se devoverat.* Lib. IV.

Patrum litteræ ad Præpositũ Generalẽ de ejus morte ac virtutum fama.

Varii Patres è collegio ad Præpositum Generalem de eodem argumento scripsere. Litterarum sententia ferè hæc erat. *P. Joan. Franciscus Regis strenuam in Missionibus plurimis per aliquot menses operam navavit, insolito ardore fructúque. His præteritis natalitiis Christi Domini feriis DEUS labores ejus complevit, dum illum ad se se evocavit. Vitæ ultimum, sicut & anni, diem præmaturâ morte clausit, non tamen improvisâ: quam prævidere facillimum erat, ob immensos labores quos solus continuò exantlabat, & quibus ferendis multi Missionarii pares non fuissent. Ejus omnis vita in erudiendo populo, rusticis excolendis, & sublevandis pauperibus collocata semper fuit, ac facit ut ejus memoria in benedictione modò sit, & mortem eximiæ sanctitatis opinio prosequatur.*

Respondit Præpositus Generalis Nonis Februarii ejusdem anni hunc in modum. *Immaturam P. Joannis Francisci Regis mortem graviter & molestè tuli. Nihilominus in hac acerbissima jactura illud me consolatur, quòd Apostolicæ vitæ mors simillima responderit, quòd se ad novissimum usque diem germanum Societatis filium præbuerit; sanctis laboribus immortuus, cùm maximè pro animarum salute contra peccatum dæmonémque pugnaret.*

Servi DEI sepulcrum brevì celeberrimum evasit, & Lalovescus, exiguus tunc vicus, nunc frequens incolis pagus, & advenis refertus est, è remotissimis provinciis undique confluentibus, ad honorem habendum Velaunorum Apostoli sacris cineribus; & miraculorum quæ ibi DEUS operatur, crebritate ac magnitudine allectis. Jam quis intueri possit religiosum virum, nullâ peculiari dignitatis notâ in Ordine suo insignitum, vias omnes abjiciendi sui ac demittendi, avidè consectantem, id unicè ambientem ut nesciretur & lateret; qui semper in deliciis habuit versari cum infima plebecula, sæpe summo cum contemptu & verbis & verberibus malè acceptum, mortuum in loco pæne ignoto, in asperi montis

Lib. V. jugo: quis, inquam, hominem hunc tam ſui, tam humanæ gloriæ contemptorem, repentè propoſitum publicæ venerationi, ejus tumulum infinito populi concurſu, miraculíſque innumeris nobilitatum, videat, qui pariter non intelligat *mirabilem DEUM in Sanctis ſuis eſſe*, nec aliud ad veram & ſolidam gloriam iter, quàm per Numinis obſequium & cultum, patere. Ad hujus Hiſtoriæ clauſulam nihil reſtat, niſi ut collatam in pauca præcipuarum ſervi DEI virtutum ſub uno conſpectu ponamus imaginem: itémque miraculorum, ejus deprecatione ac meritis editorum. Utrumque geminus, qui ſequitur, liber dabit.

VITA B. JOANNIS FRANCISCI REGIS.

Liber V.

EX iis quæ narrata ſunt ſuperioribus libris, ſatis ſupérque intelligi poſſet, quàm cumulatè perfectéque omnia virtutum Chriſtianarum officia Beatus Regis expleverit: quia tamen coacti ſæpe fuimus, nè hiſtoriæ curſus ſæpius abrumperetur, nonnulla dicta factáque præterire, quæ ad declarandam excellentem ſervi DEI ſanctimoniam valere majorem in modum poſſunt, ea duximus in hunc librum, ad piarum animarum fructum, conjicienda. Sanctorum virtus ipſorum factis omnibus, ac ſententiis ingens pondus addit.

Ejus caritas erga DEUM. Qui cum ſervo DEI familiariter vixere, teſtati ſunt illum crebris ſermonibus propheticas voces uſurpare ſolitum. *Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram,* * *DEUS meus!* Sæpe audiebatur divino amore ſuccenſus exclamare. *DEUS cordis mei, quin amare te poſſum quantum amari dignus es, & quantum amare te velim!* Sacro divinæ caritatis igne ſic interdum flagrabat, ut illi ſuſtinendo par non eſſet. Interdum eſt conſpectus dor-

* *Pſalm. 72.*

dorsum subgrundæ subjicere, ut aquam è tecto stillantem exciperet. Ibi demisso capite, inundanti rivulo perfundendum se præbebat, ut ardorem animi, quo ipsum corpus exæstuabat, temperaret. In sermone quot verba, quot sententiæ, totidem erant veluti faces, quæ & ardentem imo in pectore Numinis amorem ostenderent, & alios ad eundem inflammarent. *Quàm sanctè, quàm suaviter ejus colloquiis afficerer, explicare non possum*, inquit Ludovica de Romezin; *ejus singulis vocibus tanquam singulis ardentibus telis, pectus meum & transfigebatur & incendebatur.* Ipsi pueri quorum teneram ætatem formabat in scholis, prædicârunt ità se ab illo instructos litteris fuisse, ut ad amandum DEUM assiduè ipsos excitaret, cúmque de amore divino verba faceret, ejus orationem melleo quodam sapore condîtam fluxisse: nec semel coactum suas cohortationes interrumpere, ut lacrymis prorumpentibus liberiorem aperiret viam: adeò illius mentem divinus amor totam occupabat! Lib. V.

Ex hac in DEUM singulari caritate oriebatur incensum illud desiderium procurandæ in omnibus divinæ gloriæ. *A DEO creati*, ajebat, *& propter DEUM solum creati, solius DEI proinde sumus; & ad ejus gloriam omnia referre nos oportet.* Ad hoc sanctissimum effatum, tanquam ad certissimam normam, vitæ suæ rationes semper exegit, adeóque sui, & suorum commodorum erat oblitus, ut aliquando dixerit Vicario Generali diœcesis Aniciensis, nequaquam se recusaturum cœli deliciis tardiùs frui, si per eam dilationem daretur sibi locus adducendi plures ad cognitionem & amorem DEI sui.

Hic animus, ab omni amoris proprii labe perpurgatus; hoc suimet ipsius sacrificium, quod est indicium amoris divini longè certissimum & verissimum, eluxit præsertim in laboribus & ærumnis quas vir Apostolicus toleravit. In iis unicè acquiescebat, ac majorem in modum placebat sibi: cúmque nescio quis vicem illius dolere visus esset, quòd vitam in Euangelico ministerio tot molestiis & incommodis objectam duceret, respondit, *Quidquid laboris DEI causâ toleramus, laboris nomen perdit. Cruces Apostolicas cælestis unctio & dulces & leves facit.* Sanè, quò plus patiebatur, eò plura pati gestiebat; sacram illam famem nulla explebant incommoda, sed irritabant. Cùm à nebulonibus provolutus in luto graviter aliquando vapularet, auditus est exclamare: *O si liceret, mi DEUS, pro tui sancti nominis gloria perpeti gra-*

Lib. V. *viora*! Stimulatus hoc amore crucis, ad summum & heroicum processit divinæ caritatis gradum. Quippe martyrii cupiditate, dum vixit, semper flagravit. Assiduè monebatur ut parciùs& cautiùs bellum cum vitiis vitiosísque susceptum gereret. Illo efferari ac furere certum genus improborum induratæ nequitiæ; sibi non temperaturos quin eum furori suo seriùs ocyùs immolarent. Caveret in primis nè prodiret ad ægrotos noctu, neque se temere indueret in manus & laqueos hominum, qui de ipsius nece conspiraverant. Monentibus respondebat, nihil sibi antiquius, nihil optatius accidere posse, quàm ejus causâ mori, qui suâ mortuus causâ esset; quàm sanguinem in honorem ejus fundere, cujus in se amorem tot illustribus compertum documentis haberet. Periculi gravitas animos illi faciebat. *Quantulum est*, inquiebat, *quòd vivam, aut peream? At quantum est divinæ gloriæ amplificandæ servire? in ea promovenda vires, vitámque consumere? Possúmne illis succensére, qui me tanti compotem boni facere meditantur? Verùm ad hanc tam beatæ mortis aspirare laudem heroum est, non hominis nequam, nauci, & nihili, ùt ego sim.* Sic animatus perrexit inter gravissima, quæ virtutem vel firmissimam labefactare poterant, pericula, & bellum vitiis palàm inferre, & nocturnam moribundis opem ferre.

Ejus intima cum DEO conjunctio. Hoc mentis invictæ robur hauriebat ab oratione, cui sic erat deditus, ut noctem ferè totam in familiari cum DEO collocutione traduceret, neque finem orandi antè faceret, quàm diurno labore fractum corpus, somno denique vinceretur. Non tantùm in Societatis domiciliis, verùm etiam in Missionibus nocturnas precationi horas dabat, postquam diurnas laboriosis functionibus occupâsset.

Petrus *le Blanc*, cum quo diutissimè ac familiarissimè vixit, testatus est nunquam à se conspectum fuisse, quin vultum præ se ferret hominis secum & cum DEO intùs habitantis. Hæc oris modestissimi & religiosissimi species ità omnes capiebat, ut cùm prodiret in publicum, efferrent pedem ex ædibus foràs, ut prætereuntis aspectu fruerentur, negaréntque hunc hominis vultum esse, sed angeli, mortali carne induti. Tam arctè DEO conjunctus erat, tam longè à rerum creatarum amore disjunctus, ut illi Majestas divina versari semper ob oculos, rerum verò infimarum inanitas nè apparere quidem, videretur. *Illum intuens*, ait Comes de la Mothe, *arbitrabar ipsum non jam agi proprio spiritu, sed impul-*

pulsu divino: & inesse vim quandam divinitus, ac minimè naturaliter inditam, qua cieretur; Deòque, vel potiùs amore divino, ejus animam velut animari. Lib. V.

Hac intimâ cum DEO conjunctione, tam sublime genus orationis adeptus erat, ut rebus vel minimis, quæ DEI memoriam ejus menti objiciebant, totus quodammodo raperetur extra se, usúque sensuum destitueretur. Accidit aliquando, cùm esset ruri, ut unus è nostris pium quoddam de amore DEI canticum modularetur. Regis illo sic est affectus, ut animum à sensibus alienatum Patres, qui aderant, facilè intellexerint. A multis parochis sæpe deprehensus fuit in ipso precationis æstu, voce atque omni motu, per plures horas, captus. Cùm iter faceret per urbem, consistebat interdum in medio vico sublatis in cælum oculis, & in alta contemplatione sic demersus, ut quæ circa se gerebantur, non animadverteret. Nec rarò inter concionandum vox ipsum subitò deficiebat: sed ardentes oculi, & suffusus igne multo vultus, eloquenti silentio loquebantur, mentésque audientium percellebant. Ab hoc æstu divino cùm se collegerat, institutum de DEO repetebat sermonem, velut afflatu prophetico incitatus, tanto ardore atque impetu, nullus ut posset obniti, quin se totum quasi victori permitteret.

Ejus pietas erga sacrosanctam Eucharistiã.

Nusquam verò lubentiùs, nusquam familiariùs cum DEO versabatur, quàm ante aras provolutus. Jam indè ab adolescentia Christum Dominum singulari amore complexus erat. Cùm adhuc pæne puer litteris operam in collegio Bliterensi dabat, cælesti pane reficiebatur singulis diebus Dominicis ac festis, & quidquid à studio vacabat temporis, jam tum in æde sacra, & dulcissimo Christi congressu transigebat. Sacerdotio initiatus diem illum prorsus insuavem, & nigro notandum calculo censuisset, quo divinâ non litâsset hostiâ. In conficiendis autem itineribus dici non potest quàm diligenter provideret ac præcaveret, nè in eum diverteret locum, ubi non esset opportunitas sacrificandi postridie. Quòd si provisionem omnem casus aliquis fefellisset, cogeretúrque alicubi pernoctare, ubi non esset vicini templi copia, postero die proficiscebatur ante lucem, nec dubitabat viam quantumvis difficilem conficere, ut ad pagum evaderet, in quo rem divinam posset facere. Senator & Medicus Aniciensis pro testimonio dixerunt, illum à se conspectum sæpius, dum sacrificanti ministrabant, abstractum à sensibus, & in augusti mysterii cogitatione penitùs absorptum.

Lib. V. Cùm expertus ipse cognovisset divinas opes, & auxilia gratiæ cælestis è sacrosancta Eucharistia, tanquam ex uberrimo fonte, derivari, vìxque aptius quidquam mortalibus datum ad excitandum magis magísque sacrum caritatis ignem, nihil vehementiùs in Missionibus inculcabat, quàm frequentem Angelici panis usum; neque illis antè imponebat finem, quàm instituisset Sodalitatem Sanctissimi Sacramenti; ídque inter Missionis fructus præcipuos numerabat.

Asylum in Eucharistia suum, consolationem, delicias omnes habebat collocatas. Hinc necessariam ad Euangelicum opus lucem; hinc robur in periculis, & adversus improborum insectationes opem hauriebat: hìc agebat cum Christo de curandis & sanandis hominum vitiis: hìc illum, si quid dubitaret, si quid moliretur, consulebat: hìc sacrum divini amoris ignem toto concipiebat pectore, quem deinde in alios effunderet.

Spes ejus in divina bonitate ac potentia. Jam verò quantam in DEO spem, ejúsque bonitate ac potentia, reponeret, declarat ejus in exantlandis laboribus ac periculis gravissimis magnanimitas & fortitudo. Quoties, in illo Missionum assiduo & difficili cursu, commisit se viæ per loca ipso situ horrida, cùm hiberni vim sævam frigoris nemo sustinere posset? Quoties inaccessos montes & nivibus coopertos superavit? torrentes eluvione repentinâ, & agrorum strage tumidos, transnatavit? ejusmodi pericula denique lacessivit, quibus adeundis tentare DEUM, ac temeritatis notam vix effugere videbatur? Eorum aspectu solo & imagine, licèt eminus objecta, exanimatus ejus socius cohorrescebat, quem Regis exemplo & voce confirmans, *Omitte metum*, inquiebat, *mi frater*: *DEUM sequimur ducem*; *ejus providentia pro nobis excubat.* Hac numinis tutela fretus, Davidicas voces crebrò usurpabat: *Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* (*Psalm. 26.*) De sicariis in omnem ejus perdendi occasionem imminentibus millies admonitus: *Dominus mihi adjutor*, respondebat, *non timebo quid faciat mihi homo.* (*Psal. 117.*) Sæpe intentatum ejus jugulo telum fuit, sæpe gladii mucro pectori admotus: *Pergite*, ajebat, aperto ad excipiendam necem pectore, *conficite; mori pro Christo paratus sum.*

DEUS vicissim non raro edidit miracula, ut servum suum instantibus inimicis eriperet. Interdum ipsorum oculis eum subducebat, adeò ut præsens, & coràm positus, lateret; aliàs immobiles

biles in eodem vestigio defigebat; nè aspirare ad illum possent. Lib. V. Modò animos eorundem sic repentè immutabat, ut furori veneratio succederet; modò subito illos terrore ac vertigine ità percutiebat, ut uno viri sancti obtutu, aut verbo, perculsi & exarmati, obrigescerent.

Tam præsenti, tam perspicuâ DEI tutelâ erectus, nihil pertimescebat, nihil non audebat. Quidam scrupulum illi & religionem injiciebant, quòd labore immodico valetudinem frangeret, ac potissimùm quòd exhaustas vires levamento nullo reficeret. Quibus ille: *Sæpenumero sum expertus*, ajebat, *valetudinem meam DEO singulariter curæ esse: cujus autem in sinu meam omnem de illa solicitudinem tutiùs rectiùsque possum deponere, quàm ejus, qui optimi & amantissimi parentis meritissimò nomen obtinet?* Cùm humana præsidia, & quæ vitæ necessitas postulat, deerant, divinæ providentiæ fiduciâ se sustentabat: neque illum unquam hæc fiducia fefellit. Sæpe ipsi nummos Comes *de la Mothe* offerebat, ut iis, ad usus improvisos, si qui fortè intervenirent, uteretur. Nunquam adduci potuit ut quidquam acciperet; divinâ benignitate unicè confisus; cujus præsentem opem peculiari quadam ratione, ùt modò referam, sensit. Longum ac molestum iter emensus totâ die, Chambonum sub vesperam attigit. Erat is pagus hæreticis refertus. Fratrem *Bensac* socium suum, languentem de via, & eâ die deteriùs solito valentem perduxit ad cauponam, ac cœnam imperavit. Enimvero mirari Bensacus, &, *Fugit te, credo, mi Pater, nos à pecunia prorsùs imparatos esse: hanc præsentem tamen & numeratam hæreticus caupo volet.* Cui Regis: *Rem DEO commendemus; hic precantibus præstò erit. Credis igitur*, addidit Bensacus, *futurum ut huic cauponi Calvinistæ piâ precatione solvas quod expensum in cœnam fuerit? Curam hanc omitte*, subjecit Regis, *certissimum habemus in divina providentia perfugium; hæc nunquam nobis defuit:* statímque oraturus in genua procidit: nec irritæ fuerunt preces.

Surgit, & interiore motus instinctu, subit in vicinum conclave, in quo Calviniani juvenes tempus ludo fallebant, dum cœna parabatur. Salutat perhumaniter, & ludentibus assidet, occasionem insinuandæ juvenibus pietatis captans. Illi aspectu Jesuitæ primò conturbari, deinde amaris aliquot jocis hominem vellicare; postremò, ut molestum interpellatorem abigerent, conviciis illiberalibus palàm insectari. Audivit hæc DEI servus oris & ani-

Lib. V. animi tranquillitate, quam in gravissimis opprobriis toties præ se tulerat. Juvenes patientiam admirati paulùm conticuerunt. Et Regis, datâ loquendi vicissim opportunitate, sermonem de necessaria salutis æternæ cura tam blandè intulit, ut continuò mutati ferocem animum exuerint, imò etiam conviciorum & contumeliæ petierint veniam, promiserintque se daturos operam, ut non frustrà quæ dixerat audivisse viderentur.

Illos potissimùm dicentis modestia, & vultus, sanctum quiddam ac divinum spirans, ità commovit, ut unus ad cauponem excurrens ei præceperit, nè sumptui parceret in accipiendis lautè duobus illis Jesuitis, néve quidquam ab iisdem pro cœna exigeret; addens alterum illorum, quem modò dicentem audiverant, virum esse planè sanctum. Socius P. Joannis Francisci rem ità gestam sæpe commemorabat, ex qua nimirum intelligebatur & quanta esset in eo divinæ providentiæ spes ac fiducia, & quàm benignè DEUS famulo suo laboranti subveniret.

Hac opis divinæ fiduciâ nixus, ea sæpe moliebatur, quæ omnino ad exitum perduci non posse videbantur. Vix operis alicujus ejusmodi formâ delineaverat, cùm varii undique obices, DEO probandæ fiduciæ scilicet locum dante, operi destinato moram opponebant. At Regis patrocinio cælesti fretus, nulli cedebat difficultati, & impedimento; accidebátque ut victis tandem obicibus, & superatis, quas nemo perrumpi posse judicabat, difficultatibus, omnia succederent è sententia, & ad optatos exitus, præter opinionem, veluti sponte ducerentur. Hunc in modum flagitiosos è barathro scelerum eduxit, quos ad bonam frugem aliquandò revocandos omnes desperabant; neque quidquam unquam hujus generis, inter illa quæ fieri non possunt, numeravit; ejus scilicet misericordiæ ac viribus confidens, qui potest *è lapidibus suscitare filios Abrahæ.* *Matth. 3.*

Porrò hæc divinæ opis heroica fiducia nusquam splendidiùs eluxit, quàm cùm omnium Anicii pauperum inopiam sublevavit, in summa caritate annonæ; ùt prædictum est: itémque cùm domum pœnitentibus mulierculis addictam, Refugium vulgò nuncupatam, posuit. Hujus fundamenta cùm jaceret, negabant omnes futurum ut ædificio culmen imponeret, eíque vocem Euangelicam oggerebant, *Cœpit ædificare, & non potuit consummare.* * Quibus ille: *Prorsùs ità se res haberet, utì dicitis, si humanis opibus con-*

* *Luc. 14.*

considerem : verùm uno DEO sustentor, eúmque tantò certiùs adfuturum spero, quantò minus præsidii in hominibus est. Lib. V.

Hac divinæ tutelæ fiducia munitum esse oportebat qui tam multa, tam difficilia, tam fortiter ac feliciter, animarum causâ, moliretur, & perficeret. Id unum in omni vita propositum habuit, id studuit unum ut animas in gratiam cum DEO reduceret, aut in ea confirmaret. Totus in eo erat, ut probos inflammaret ad studium virtutis, aut improbos à vitii turpitudine revocaret. Diu, noctúque in urbe, ruri, in templis, in foro, in custodiis publicis, & valetudinariis, in privatorum ædibus, id agebat unum; valetudinis, quietis, aut alterius oblectamenti cujuslibet, oblitus. Unicum illi opus, una cogitationum curarúmque meta, regnum Christi amplificare: hujus causâ nihil non audere, nihil non perferre ac pati; cetera nihili pendere. Si qua fortè ipsi elaberetur occasio cujuspiam animæ vulneribus medicam manum admovendi, urebatur incredibili dolore, séque tanquam reum incusabat, licèt omni vacaret culpâ. Evenit aliquando ut prodire domo non posset ad excipiendam confessionem peregrini, quem in diversorio morbus in ultimum discrimen adduxerat: *Quàm longa mihi*, dixit alloquens amicum, *quàm acerba nox fluet! nullam capere quietis partem potero, donec resciam ecquid huic moribundo allatum sit auxilii. Fateor*, addidit, *insuavem & injucundam mibi vitam fore, si mibi facultas nulla suppeteret mortales miseros peccatorum servitute liberandi.* *Zelus animarum.*

Aliàs, cùm nihil intentatum reliquisset, ut vesanam hominis improbi cupiditatem frenaret, suósque omnes conatus irritos & scelerati pertinaciâ victos cerneret: *Ah! quæso*, inquit profusis lacrymis, *gladium quo accinctus es, in boc pectus adige potiùs, quàm divinam Majestatem tam injuriosè tractes.* Adolescens nobilis, captus puellæ formâ, eam crebriùs justo, nec sinè populi offensione, invisebat. Nihil cunctatus Regis commercium illud rescindere decrevit. Ac primò quidem puellam adortus, docet quàm periculosâ facilitate juvenem admittat. Respondit illa sibi permolestam accidere juvenis assiduitatem: Nec per me stabit, inquit, quin ingratum salutatorem excutiam.

Hoc aditu ad negotium comparato, DEI servus ulteriùs progreditur, & adolescentem quàm blandissimè admonet frequentiores ejus cum puella collocutiones pejorem in partem accipi à civitate, ac sinistram in vulgus manare famam. Omnibus divinis juxtà

Lib. V. xtà & humanis rationibus pugnavit ut juvenilis cupiditatis æſtum reſtingueret. Promiſit adoleſcens omnia, nihil præſtitit. Tunc enimvero vir ſanctus extorquere per vim ſtatuit, quod impetrare lenitas non potuerat. Itaque cùm reſciviſſet juvenem ad puellam veniſſe, accurrit domum. Ibi, ſanctâ quadam armatus iracundiâ, vocem imperii plenam atque auctoritatis attollit, quali zelus Apoſtolicus tonare ac fulminare ſolet, eáque adoleſcentem ſic perterrefacit, conturbat, proruit, ut hiſcere vix quidquam auſus, ejecerit ſe ex ædibus, neque poſthac in eas pedem intulerit. Hoc ampliùs: Servi DEI verba illi tam altè inſederunt in animo, ut aliam penitùs, & meliorem vitæ viam inſtituerit. Si quid ejus generis incideret, vix ſui compos erat vir ſanctus, & potentiore vi abreptus, metus omnes humanos & reſpectus deſpiciens, quò DEI gloria, quò ſalus animarum vocabat, divino quodam impetu ferebatur. Quamvìs hoc ſatìs multa, quæ hactenus narrata ſunt exempla, doceant; unum tamen inſigne præ ceteris nequeo prætcrire.

Erat Anicii famoſa mima, pernicies juventutis. Ingemiſcebant omnes tot animarum exitio; qui malo medicinam afferre auderet, nemo erat, quia mulier procerum multorum patrocinio nitebatur. Regis, ſemper impavidus cùm agebatur ſalus animarum, peſtem illam civitate depellere conſtituit. Quia verò ſumma rei conficiendæ poteſtas penès urbanos magiſtratus erat, judicem diſciplinæ civili præpoſitum convenit, virum ſanè probum, ſed adverſus rumores & famam haud ſatìs firmum. Docet quanta civitati clades afferatur ab hac mima: ſerpere malum in dies latiùs; hanc verò luem ſanari ab alio nec poſſe nec debere, quàm ab eo, cui commiſſa ſit legum & ſalutis publicæ cuſtodia. Si cunctetur ac trepidet, in ipſum culpam & pœnam ſcelerum, quorum iſta femina caput eſſet, conjiciendam. Laudari ſanè illius probitatem, at eandem à DEO nequaquam probatum iri, niſi auctoritatem, quâ pollet, huic malo efficaciter curando adhibeat.

His rationibus permotus judex, neque auſus eſt apertè quod petebatur denegare, neque remedium ingraveſcenti morbo admovere properavit, humano retardatus metu. Rem in longum ducere, ac polliceri multa, contentus, reſpondit videri ſibi quæcumque admoneret, rectè prudentérque dicta; conſtare de mali gravitate, & neceſſitate remedii: ſe ad omnia paratiſſimum eſſe; verùm voluntati etiam optimæ facultatem non ſemper reſpondere: multos è civibus primariis huic negotio eſſe admixtos; tractandum

dum cautè, pedetentim, & citra strepitum; infestos hominum rumores vitandos; captandam temporis opportunitatem, & quâ viâ mollissimè confici possit, deliberandum: id sibi curæ & cordi fore. Lib. V.

Dari sibi verba servus DEI sensit: útque obliquos humanæ prudentiæ circuitus, & dolosa temperamenta, moráſque, animarum saluti vulgò inimicas, oderat, urgere propositum non destitit, stimulósque tam acres magistratui subdidit, ut ejus denique tarditatem expugnaverit. *Quid? de mali magnitudine consiteris*, inquit; *& remedium, quod habes in promptu, procrastinare non dubitas? dum interim divinum Numen palàm indignis modis offenditur. Adeòne tibi vilis & despecta Majestas Domini est, ut ejus opprobria pro nihilo ducas? Adeòne rem levis momenti peccatum esse arbitraris, ut illud patiaris increbrescere, nè quid mali rumoris instrepat.? Quæso ut verum ex me citra offensionem audias; is denique vitandus rumor ac strepitus est, quem excitat tam propudiosa theatri licentia; non ille, qui è remedio à te afferendo forsan orietur.*

Hæc, aliáque id genus, plurima, tam graviter, tam animosè disseruit, ut assentiens dicenti magistratus continuò edixerit nè mima exitialis prodiret in publicum, aut in theatro posthac appareret. Gratias ingentes DEO Regis egit, ac deinde ipsi judici; cui denuntiavit sibi deliberatum fuisse, si repulsam fuisset passus, irrumpere in mediam theatri caveam, armatum effigie Christi crucifixi, ut pestilentem mulierculam agitaret. Hæc Apostolici viri ad procurandam animarum salutem fortitudo fuit: haud minor ejus caritas in miseriis corporum sublevandis eluxit: nec immeritò dici potest amorem pauperum propriam Beati viri dotem, & quasi characterem, illustrioribus impressum notis, extitisse. Pauperum actor, & eorum negotiis præpositus, appellabatur, calamitosorum defensor, miserorum omnium perfugium, pupillorum omnium tutor, viduarum omnium patronus. Tam gloriosa nomina unus *Patris Pauperum* titulus, universa colligebat, quem & heroicâ consecutus erat caritate, & donec vixit, omnium consensu retinuit. Ità mirabilem hanc servi DEI virtutem describit *Comes du Fay de la Tour Maubourg* in Actis Canonizationis. *Homines ille quidem omnes, ut imagines DEI diligebat; nihilominus pauperes singulari quodam ac tenero affectu complectebatur, & in sinu atque oculis ferebat. Eorum intueri miserias non poterat, quin inti-*

Ejusdem in pauperes caritas.

Lib. V. *mis sensibus commoveretur. Illis diurnam & nocturnam navabat operam in ergastulis, in nosocomiis, & in eorum casis. Neque pædor infimi & tenebricosi carceris, nec periculosæ contagionis metus, ejus absterrebant caritatem, aut retardabant. Tunc vivere, tunc regnare videbatur cùm ægrotos omni ope destitutos nanciscebatur, quibus opitulari posset. Quod horrebant ceteri ac refugiebant, eo alliciebatur & pascebatur: nusquam lætior, ac sibi amicior, quàm cùm ulcera putrida & tabo manantia, perpurgaret. Non contentus miseros invisere, ad ministeria vel maximè abjecta, & vernilia, se demittebat ipsorum causâ; mediastinum diceres, aut servum, ad hæc præstanda, mercede conductum. His omnibus adjiciebat alia non pauca, quæ caritas ingeniosa comminiscebatur, & suggerebat.*

Huic testimonio adjungo alterum Patris Antonii *de Mangeon* rerum à DEI servo gestarum testis magnam partem oculati. *Verba me deficiunt*, ait, *quibus explicem quousque procederet materna caritas, quâ P. Regis pauperes prosequebatur, præsertim ægros, eósque stomachum ac nauseam omnibus movere propter fetorem solitos. Fratres nostri, ejus Socii, ajebant necesse prorsus esse ut vel odorandi sensu omnino careret, vel esset præditus vi quadam peculiari ac propriâ, vires humanas superante, cujus beneficio perstaret horas integras, ùt consueverat, certis affixus ægris, ad quos propiùs accedere nemo poterat; quin odoris gravitate oppressus, propemodum animo linqueretur. In has tamen ædes tetras atque pestilentes, subire cernebatur vultu tam læto ac renidente, quàm si halantem rosis & violis domum Principis introisset. Fratres nostri (pergit P. Mangeon) libenter illum comitabantur, ut caritatis mirificæ spectaculo fruerentur: sed cùm vir sanctus æquè indulgens aliis, ac sibi durus esset, illos ad fores ædium consistere jubebat, dum ipse cælestes delicias cum caris pauperibus, in hoc teterrimo fetore, degustabat. Hæc illius oblectamenta & feriæ post durissimas concionum & confessionum occupationes: sic à gravissimis laboribus relaxabat animum, & reficiebat. Quoties in urbe prætereuntem cives intuebantur, Pergit*, inquiebant, *ad opem pauperi vel ægroto ferendam; & rarò illos conjectura fallebat.*

Maria Bonnot, Aniciensis matrona, probatissima femina, pro testimonio dixit persuasum vulgò fuisse Patrem Regis divino lumine collustratum, cognovisse quâ quisque inopiâ, tametsi admodum

dum occultâ, maximè premeretur: siquidem nihil in urbe suscipiebatur ad levandam civium calamitatem, cujus ipse magna pars non esset; nullum genus miseriæ, cui non subveniret; nullus egens, nullus æger, cui non succurreret: nullum infortunium, quod ejus vigilantiam & curas effugeret. Nihil audiebam piè utilitérque in civitate gestum, quin audirem continuò, id commodi & subsidii à P. Regis procuratum est; huic adfuit moribundo; hanc litem composuit. Crederes unum eundémque multiplicari, ut omnibus adesset locis, in quibus ejus operâ pauperes indigebant: atque haud scio an quisquam omnium mortalium illos magìs tenerâ, liberali, & magnanimâ caritate fuerit complexus. Lib. V.

Sic omnibus, ac præsertim egenis, amicus & suavis erat; cùm interim sibi asper uni & inimicus, esset. Imbutus Euangelicâ Christi voce, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*: nunquam cessavit, ut Apostoli verbis utar, *mortificationem JESU in corpore suo circumferre.* Acre cilicium, quo erat indutus, nunquam deponebat. Præterea catenam ferreis hirsutam acuminibus ità lumbis admovebat, ut eam varios in orbes & flexus circumplicaret, quò latiùs dolor funderetur. Singulis noctibus immiti flagello se lacerabat: perenne jejunium: humus cubile, panis & aqua victum dabant, addito quandoque, cùm opiparè vescebatur, modico lacte, aut oleribus, absque ullo condimento. Vini, carnis, ovorum, & piscium, usus nullus. In postremis Missionibus, nè suis hospitibus gravis foret, impositam humeris in sacculo gestabat farinam, quam aquâ diluebat. Sæpe triduum cibi expers traducebat. Cùm versaretur in collegiis, tres ad summum horas somno tribuebat necessario. Quantumvìs debilitatus labore assiduo & exhaustus, nunquam tamen adduci potuit ut modico vino attritas vires reficeret. Nullum unquam oculis spectaculum, nullam auribus symphoniam, indulsit: ac nè illos quidem rumores audire sustinebat, quos in vulgus fama spargit, & quos rescire nemo suâ interesse non putat. Quid multa? mortificationis, quem vocant, spiritus nusquam illum deserebat; eóque animatus, & soli DEO vivere gestiens, omnibus commodis, oblectationibus, & aliis quibus vita gaudet, voluptatibus nuntium planè remiserat. Comes *de la Mothe*, locuples testis rerum gestarum viri Apostolici, dicere solitus erat, DEUM quotidiano miraculo Patrem Regis salvum & incolumem præstare. Quæ ageret aut perferret ea virium humanarum modum excedere, atque adeò nisi divinâ virtute non

Mortificatio & amor Crucis.

Matt. 16.

2. Cor. 4.

Lib. V. posse vitam illi & valetudinem constare. Ità planè se res habebat. Quippe servo DEI nihil in amore ac deliciis erat nisi fames, sitis, anni tempus asperum, frigidum, intolerabile. Tunc gaudio triumphabat cùm erraret per invios montes, largo perfusus imbre, demersus in nives, lassitudine ac labore confectus: ídque aliquando socio suo confessus est. Cùm enim die quadam laboris & ærumnæ solito plus tolerâsset, seque omnino fatiscere, ac viribus defici non negaret, adjecit se cælestibus circumfluere gaudiis, nec liquidiores unquam animo voluptates hausisse. Obstupescenti socio, & orationis novitatem admiranti, dixit vitam sibi vitalem non fore nisi daretur locus aliquid Christi causâ patiendi; se hoc uno in terris solatio sustentari.

Mortificatio interior. Corporis afflictatio ità laudari debet, si animo domando servit: virtus vera moderandis animi perturbationibus continetur; in eo præcipuè versatur & elaborat. Eas verò qui magis domitas, magis rationi & gratiæ obsequentes haberet, quàm B. Regis, hàud facilè quemquam reperias. Nulla in eo vivere cupiditas videbatur præter unam divinæ gloriæ procurandæ & salutis animarum. Jam indè à prima ætate totus in eo fuit ut se vinceret in omnibus, ídque vi multâ, & assiduâ contentione assecutus erat, ut nihil in ipso deprehenderes, quo primis illis motibus cupiditatum agitari sentiretur. Nemo illum iracundiâ inflammatum vidit, nisi cùm peccantium vesanos frangeret impetus, & pro Numinis honore depugnaret. Nemo tristitiâ dejectum, nisi cùm DEI majestatem peccato læsam audiret: nemo elatum gaudio, nisi cùm virtus & gratia triumpharet. Ceteris in rebus, secundis aut adversis; quæcumque temporum, locorum & negotiorum, facies foret, eundem oris habitum, serenum ac tranquillum, præferebat, qui summam quietæ mentis pacem indicaret. Si quid rei novæ ac difficilis præter expectationem subitò accidisset, sui compos, imperterritus, atque imperturbatus, consistebat, & in mediis opprobriis, gravissimísque contumeliis, expertem animum procellæ, frontem nè minimâ quidem obductam nubeculâ, conservabat. Eunti per urbem aliquando ad obeundum nescio quod caritatis officium, proterva juvenum turma occurrit, & sibilis conviciísque aliquandiu prosecuta est: quorum ludibria & vociferationes contemnens, cùm ire nihilo seciùs pergeret, irritati patientiâ, & illam tranquillitatem extorquere homini, ac movere stomachum gestientes, cœno vultum opplent ac turpiter deformant. Risit DEI servus, & sudario vul-

vultum leniter abstergens, iter institutum, tanquam nullâ violatus injuriâ, prosequitur. Tam insignis moderatio ludibria, jocósque juvenum in admirationem vertit: & procacissimi quique coacti sunt fateri, qui sic sui potens esset, hunc homine majorem esse. Ità motus animi habebat in potestate, ut nè ipsa quidem præsentis necis imago constantem ac sedatum pacatæ mentis habitum mutaret. Audierat puellam nobilem plus justo familiarem esse primario cuidam centurioni; & periculosam utriusque consuetudinem rumore malo flagrare. Puellam aggressus, virtutis amore ità succendit, ut centurionem in perpetuum ædibus excluserit. Qui elatus iracundiâ, & ultionem meditans, cùm rescivisset Patri necessarium iter esse in proximum pagum, ubi erat concionem habiturus, insidias paravit in prato *le Breüil*, & inter virgulta delituit. Indè in transeuntem faciens impetum, strictúmque gladium intentans, *Nunc* inquit, *nunc morere.* Cui Pater. *Præstò sum*, ait admirabili oris & animi tranquillitate; *sine modò ut breviter DEUM moriturus orem.* Perculsus tantâ lenitate sicarius paulùm constitit: precatus interim DEUM parumper vir sanctus, & ad furiosum conversus, *Jam nihil est in me moræ quin de me statuas tuo arbitratu: nihil malim quàm Christi causâ mori.* Exarmavit centurionem tam blanda, tam tranquilla, in tanto discrimine, oratio: ex animo furor, gladius è manu excidit. Advolutus ad servi DEI pedes, veniam sceleris petiit, cujus memoriam & dolorem nunquam se depositurum promisit. P. Antonius *de Mangeon* in suo commentario affirmat observatum à se diligenter Patrem Regis, neque tamen ullum unquam in ejus aut sermone aut vultu animadversum cupiditatis parùm domitæ vestigium. *Destitutus interdum*, inquit, *à viris probis, imò malè ab iis acceptus, à quibus defendi debuerat, nunquam tamen de beato mentis compositæ statu deturbatus fuit. Rectè an secùs caderent negotia quæ susceperat, idem illi semper animus, idem vultus. Erant qui ejus rationem agendi approbarent; nec deerant qui eandem improbarent, utrosque eodem spectabat ore, eodem in numero habebat: nunquam visus affici mœrore, aut gaudio, desiderio vel metu; perinde quasi captus omni sensu, quod mortuis accidit, fuisset: adeò divinus amor quidquid in humanis cupiditatibus vitiosum est, tanquam terrenæ & impuræ massæ scoriam, in ejus animo decoxerat.*

Lib. V.

Quibus satìs est animi ad objiciendum neci caput, iisdem ad ferendum contemptum satis animi semper non est. Hìc enimvero cæ- *Animi submissio.*

Lib. V. lestis gratiæ de P. Joanne Francisco triumphum agnoscere licet. Eâ docente, tam nihil ducebat, tam susque déque habebat quidquid hominum opinione, honor, fama, existimatio, vocatur, ut humilitas inter ceteras ejus virtutes eminere meritò censeatur. Diu deliberavit num rogaret superiores, ut nè sacris Ordinibus initiaretur, ac domesticis ministeriis in perpetuum addiceretur. Fatebantur omnes illum eximiâ dicendi facultate esse prædirum; hanc tamen exiguis & obscuris explicandæ populo, familiari ac pæne rudi sermone, doctrinæ Christianæ cancellis circumscripsit.

Laudatus non erubescebat solùm, sed etiam ità perturbabatur, ut neque color, nec vultus, constaret. Virginem ægrotam à medicis depositam, jámque cum morte luctantem, precibus suis momento sanaverat. Eum omnis familia gratias actura circumstetit. Tantus illum incessit obruítque pudor, cùm id prodigium sibi tribui vidit, ut in eas eruperit voces: *Heu! si quid hic inesset miraculi, profectò illud esset, quòd DEUS tam vile instrumentum ad miraculum patrandum adhibuisset.*

Parùm erat viro humilitatis perstudioso honorem fugere, quidquid abjectum, ac despectum erat; contumelias, & opprobria, incredibili aviditate consectabatur. Illud vulgò dictitabat, si probè notus esset, ac pro merito tractaretur, se prætereuntium pedibus, ut mortalium omnium infimum, proculcatum iri. Hoc habebat persuasissimum, nullum esse infamiæ, nullum injuriæ genus, quod non promeruisset. Evenit non raró ut alapis, colaphis, & verberibus, pessimè acciperetur; tunc omnino existimabat secum multò indulgentiùs & clementiùs, quàm pro merito actum fuisse. Si quis illum per jocum irrideret, sic jocanti arridebat, ut facilè intelligeres quàm libenter aliis jocandi materiam præberet de suo. Quin etiam consultò sermonem extrahebat, ut qualicumque sui contemptu diutiùs frueretur. Eò denique progressus est, ut in vestibus, verbis, incessu, habitúque, nescio quid abjectum, vile, ac proletarium, deditâ operâ, usurparet, eâ spe fore ut apud eos, quibus ignotus esset, nullo numero ac loco haberetur: nec eum spes aliquando sua fefellit. Illius in ferendis opprobriis patientia visa est nonnunquam amicis ignavia; & humilitas, animi abjectio. Orbatum audiendi sensu credidisses, adeò gravissimis injuriis, maledictísque turpissimis, nullo pacto movebatur.

Non tantùm ab improbis datus est servo DEI humilitatis exercendæ locus, verùm etiam ab hominibus virtute, & auctoritate

præ-

prӕditis. Rectore usus est, qui sinistrâ de ipso imbutus opinione, illum privatim ac publicè objurgabat, quidquid ageret contemptim accipiens, & pœnas, quӕcumque sunt in cœtu religioso ad incutiendum pudorem gravissimӕ, imponens. Eas Regis obibat animi demissione summâ, nihil expostulans, nihil excusans. Nonnemo è primariis Patribus cùm audivisset id solemne servo DEI esse, ut reprehensus nullâ unquam uteretur excusatione, imò ut tum maximè placeret sibi, & gratularetur; experiri voluit an ità se res haberet, ejúsque humilitatem velut ad incitas redigere. Accipit illum in conclavi solum, & coràm enumerat singulatim quidquid ipsi malignitas obtrectatorum, aut malevolorum invidia unquam objecerat. *Multi*, inquit, *virtutem tuam assignant bonitati naturӕ, non verӕ pietati; zelum hunc animosum & actuosum, indolis fervidӕ temerarium impetum interpretantur. Hinc illӕ quotidianӕ de tua imprudentia querelӕ; hinc illӕ turbӕ, quӕ tantam tibi creant molestiam, & tam multos Societati adversarios parant. Ità ferè sentiunt omnes te neque posse quiescere, nec pati ut alii quiescant. Nosti quàm multos offendant perpetuӕ illӕ concursationes, quibus, dum saluti animarum consulere te profiteris, id perfecisti ut legum religiosarum exsors, ac domesticӕ disciplinӕ immunis & pene contemptor, esse videaris; ità ùt domi stare supplicii loco ducas. Quin illud scio, tetras quasdam contra mores tuos suspiciones certis hominibus injectas fuisse, cùm te tam crebrò, tam cupidè cum mulieribus non optimis versari vident. Mentem sanè tuam esse optimam reor; quin tamen contra prudentiam & necessariam cautionem pecces, diffiteri nemo potest. Ego quidem superiorum moderationem admiror. Si mei arbitrii res esset, curarem profectò, ut aliam vivendi viam inires. Si me audis, non expectabis donec tibi hӕc necessitas imponatur. Fac amico bene monenti auscultes; & ab hac singulari & devia pietate, ad communem, atque usitatam ceteris Patribus viam te refer.* Ad hunc ferè modum per dimidiam horam locutus cum eo Pater, nescio quem objurgationis acerbitati saporem candoris, benevolentiӕ, ac sinceritatis, aspergebat, nullus ut dubitandi locus esset quin ex animi sententia loqueretur.

Lib. V.

Dicentem humilis DEI servus, nè interjecto quidem ad interpellandum verbo, sinè ulla commoti animi significatione audivit; nec leve beneficium accepisse professus, gratias, tanquam amicè monenti, magnas egit. Oravit ut pergeret hoc pacto de se bene

Sſ me-

Lib. V. mereri, neque contentus benignè admonere, acriter & liberè increparet: Sic, inquit, intolerabili meæ superbiæ fieri medicina poterit. Ad extremum promisit daturum se operam diligenter ut ea quæ tam amanter suggesserat, emendaret. Pater, licèt virtutem eximiam Regis antea perspectam haberet, nihilominus orationis tam parùm ceteris hominibus cognitæ ac familiaris novitatem admiratus, capere non poterat quo fieri pacto potuisset, ut tam odiosæ narrationi serenam frontem, tranquillum animum, aures attentas, tandiu præberet: ejúsque humilitatem longè majorem esse opinione prædicabat.

Regis non magis calumniâ, quàm objurgatione, movebatur. Sexcentis appetitus calumniis, nullam iis defensionem opposuit, licèt purgare se, & objecta diluere crimina, quàm facile, tam necessarium videretur. Accusatus aliquando de culpa gravi cùm obticesceret, defensorem se illi obtulit amicus, cui explorata falsitas accusationis erat. Rogavit ut sileret, nè, inquiebat, elabatur mihi tam præclara occasio tolerandæ, Christi causâ & exemplo ignominiæ.

Vulgò ajebat spectandum instar thesauri à Christianis quidquid notam dedecoris aliquam posset inurere. Itaque majori nunquam voluptate perfundebatur, quàm cùm publicè sibi quispiam ferociùs insultasset. Tunc sibi plaudebat, *quòd dignus esset habitus pro nomine JESU contumeliam pati.* * Si quis doleret ejus vicem, hunc ajebat ignorare, quantum felicitatis & honoris lateat in opprobriis, Christi causâ toleratis. Indignè ferentibus nonnullis ac miserantibus quòd alapâ percussus publicè fuisset: *Tantíne est*, inquit, *porrectâ feriri manu? Ecquis censeri discipulus Christi potest, quem non opprobria vel gravissima delectent?*

* *Actor. 5.*

Paupertas Euangelica.

Cùm esset Regis insigniter humilis, paupertatem non amare non poterat. Eam verò, è præscripto sancti sui Fundatoris, diligebat ùt matrem. Christus JESUS in stramine, & stabulo Bethlehemitico jacens, argumentum vulgò meditandi, & exemplar propositum ad imitandum, illi erat. Omnia in ipso paupertatem redolebant: cubiculum in urbe, omnium, quæ domi forent, maximè incommodum; ruri plerumque rustici tugurium, aut ruinosæ parietinæ; cibus, qualis agrestium egentissimorum, panis, aqua, lac, herbæ; supellex in itineribus, baculus, breviarium brachio subjectum, Christi crucifixi effigies pectori admota; vestis, tunica talaris vetus, & pallium detritum, quæ nunquam nisi lacera deponebat. Nescio quis illi tunicàm recentem cùm obtru-

ſiſſet, adeò moleſtè rem tulit, ut ejus mœror antè allevari nequiverit, quàm alia ſubjiceretur ſenio decolor & interpolata. Ea verò quâ indutus obiit, quæque Laloveſci, tanquam ejus exuviarum pretioſa pars, aſſervatur, perrupta multis locis & pertuſa erat. Primis Miſſionum annis mendicato quotidie pane victitabat. Sed cùm per occupationes cibum oſtiatim non liceret corrogare, inſtituit poſtremis annis impoſitam humeris farinam, aut panem, quo veſceretur, portare. Non rarò, poſt conciones habitas in aliquo pago, & auditas confeſſiones, cùm non haberet quò ſe reciperet, ad placandam utcumque fruſto panis famem, coactus fuit ruſticum, interpoſito DEI nomine, rogare ut ſe, tanquam pauperem, tecto exciperet. Nullis ſodalibus jucundiùs utebatur, quàm pauperibus: illorum duntaxat domos frequentabat, nec divitum terebat limina, niſi ut egenis aliquid ſubſidii conquireret. Deniquè in ſinu paupertatis, ut ità dicam, ſupremum edidit ſpiritum, in aſpero montis jugo, alienæ domi, & in lectulo ſibi commodato: Deíque nutu factum eſt ut ejus corpus remaneret in exiguo paucorum mapalium pago, nempe inter manus ac tuguria pauperum, tanquam perennè monumentum conſtantiſſimæ caritatis, quâ illos proſecutus fuerat. Lib. V.

Obedientiæ ſtudiũ. Cùm Regis nuntium voluptatibus remiſiſſet ſtudio mortificationis; honoribus, humilitatis operâ; caducis bonis, colendâ inſigniter paupertate; proclive illi fuit ſpoliare ſe propriâ voluntate, quod religioſæ obedientiæ munus eſt. Hujus virtutis eam omnem perfectionem eſt adeptus, quam ſanctus Ignatius in ſuis Conſtitutionibus deſcribit. Ità ſe in religioſo inſtituto ſemper geſſit, ut ſi, vitâ, motu, & proprio ſenſu planè orbatus fuiſſet: unica illi judicandi ac volendi lex & norma, judicium voluntáſque præpoſitorum ſuorum; in quibus Chriſtum duntaxat intuebatur, cujus nimirum vices & locum obtinebant. Hinc illa religioſa veneratio quâ illos obſervabat, eorúmque juſſa, tanquam à DEO ipſo dictata, excipiebat. Nihil moliebatur iis inconſultis, paratus quidquid operis deſignaſſet, eorum arbitrio proſequi, vel omittere: quippe qui unam DEI ſpectaret voluntatem, cujus illos interpretes ſibi datos intelligebat.

Miniſtros Euangelii plerumque reperire eſt, in iis quæ ad ſalutem animarum pertinent, ſtrenuos & impigros, at pertinaces, eóque magìs in ſententia obfirmatos, quòd omnia ſua conſilia referri ad proximorum utilitatem arbitrantur. Ab iis P. Joannes-

Lib. V. Franciſcus, longè diſcrepabat. Quem conſtat ad minimum ſuperiorum nutum deſtituiſſe opera ſapienter inſtituta, & ad felicem exitum brevì perducenda. Obedientiam ſuam nullis definiebat limitibus; æqui, boni, quidquid injungeretur, faciens, & ſatìs ad parendum cauſæ exiſtimans quòd ità moderatoribus ſuis videretur.

Ut eſſet ejus obedientia purior ab omni labe, accidit non ſinè peculiari Numinis conſilio ut ſuperiorem nanciſceretur, qui ejus patientiam miris, ùt vidimus, ac duris modis exercuit, uſque eò, ut illi functionibus apoſtolici zeli omnibus interdiceret. Tam grave interdictum non acerbiſſimè ferre DEI ſervus non potuit. Paruit tamen; neque ullam querimoniæ vocem ab eo dolor expreſſit. Sanè, quo ſalvâ obedientiâ, priſtinas pergeret obire functiones, à Provinciali petiit ut aliud ſibi aſſignaret collegium, ubi ſuperiorem haberet magìs obſecundantem ſuo proximos adjuvandi deſiderio; & ratam ejus petitionem Provincialis habuerat. Verùm extimuit Regis nè quid in hac petitione lateret vitii, ſeque in eodem collegio continuit, tutiorem ac præſtabiliorem omnibus pietatis officiis obedientiam judicans. Itaque omni ſolicitudine abjectâ, & in DEI voluntate penitùs acquieſcens, ſatius ſibi duxit obediendo nihil agere, quàm multa præclarè utilitérque gerere, indulgendo propriæ voluntati. Durum illi animabus ſervandis operam non dare: at durius multò fuiſſet à ſuperioris voluntate vel tranſverſum unguem diſcedere. Collegii Anicienſis Rector, ùt ſuprà narratum eſt, illi præceperat ut parocho Marlenſi obtemperaret in iis, quæ ſpectarent ipſius valetudinem, laborioſas occupationes, & afflictationes corporis, in quibus DEI ſervus modum vix tenebat, & longiùs quàm par erat, efferri videbatur ſtudio mortificationis. Obſtupuit parochus, ſanctam Beati viri ſimplicitatem ſuſpiciens, quâ morem jubenti gerebat in omnibus. Lubet ipſum loquentem audire. A delectis judicibus rite interrogatus, ità diſſeruit, ùt perſcriptum eſt in Actis Canonizationis. *Uſus ſum*, inquit, *auctoritate, quam in eum Rector mihi demandaverat. Modum & ordinem ejus occupationibus, cibo, ſomno, labori, excurſionibus, præſcripſi. In iis omnibus ità mihi audiens dicto fuit, nihil ut fieri poſſet religioſiùs, nihil accuratiùs. Si quando contingeret, ut parùm memor temporis, ultra præſcriptum, in æde ſacra remaneret, ſatìs habebam oſtendere ipſi litteras, quibus mihi jus partéſque ſuperioris Rector tribuebat: ſubitò vel ſanctiſſimas occupationes abrumpebat.*

Præ-

Præcipua illius erga præpositos Ecclesiasticos veneratio & observantia erat, in quibus scilicet auctoritatem DEI agnosceret. Id Petrus *le Blanc*, Episcopi Aniciensis Vicarius Generalis, publicè testatus, *Nihil designabat*, inquit, *nihil aggrediebatur*, *nisi me conscio & consulto*, *atque adeò probante & assentiente*: *hanc enim sibi dixerat legem*, *ut sua munia*, *nisi ex Episcoporum*, *quorum diœceses excolebat*, *eorúmque Vicariorum Generalium auctoritate*, *arbitrióque*, *non administraret*. *In quo*, addit idem Petrus le Blanc *Sancti Francisci Xaverii obedientiam est æmulatus*, *cujus Apostolicum Zelum imitatabaur*. Lib. V.

Tot virtutibus addidit cumulum eximia corporis animíque munditiес, quam omnes in servo DEI semper sunt admirati. E paucis, quæ illi exciderunt, vocibus satìs intelligi potest, eum singulari DEI beneficio immunem extitisse intestini hujus belli, quo vexati sanctiores etiam viri sæpe ingemiscunt. Differebat aliquando liberiùs ac familiariùs cum homine Societatis, ob virtutem sibi amicissimo. Hic illi candidè aperuit nonnulla, quæ peculiari superûm favore consecutus erat, dona & munera; cui vicissim Regis eodem candore: *Ego*, inquit, *inter maxima*, *quæ DEI benignitas in me contulit*, *beneficia numero*, *quòd stimulos carnis nullos unquam norim*, *aut expertus sim*. Quin, illi DEUS tantum libidinis odium inseverat, ut ipsum impudicitiæ nomen horreret. Hinc ille ardor, hinc illi conatus, ad mortales obscœnis deditos voluptatibus ex illo cœno extrahendos. *Cordis munditi- es & castimonia.*

Ità vulgò persuasum omnibus erat, ejus sermonibus, conspectu, ipsâ demum præsentiâ, castimoniæ amorem afflari. Uno sæpe colloquio summum impudicitiæ odium turpissimis & contaminatissimis aspirabat. Multi pravâ consuetudine irretiti, ex qua se nunquam expedire potuerant, testati sunt, post exposita illi in sacramento peccata, se prorsus mutatos, jugum imperiosæ tyrannidis nullo negotio depulisse. Aniciensis Episcopi Vicarius Generalis, arctissimâ cum DEI famulo junctus amicitiâ, dictitabat inditam illi divinitus vim admirabiliter efficacem non tantùm ad persuadendum perditis mulieribus austerioris vitæ genus; sed etiam ad fovendum in iisdem & custodiendum pœnitentiæ spiritum; ídque affirmabat propterea, quòd nullam vidisset, quæ hortanti restitisset, aut quæ ad flagitia semel detestata rediisset. Illi ipsi quorum erat projecta fama & pudicitia, & quorum vulgò par est audacia & malignitas in iis exagitandis, qui fœdis ipsorum volupta-

Lib. V. tibus injicere moram & frenum tentant, cùm viderent ejus castimoniam tam publicâ, tam illustri omnium approbatione defensam, licèt assiduè occupatus esset in profligatis istis mulierculis, aut ad bonam revocandis frugem, aut sublevandis; licèt calumniis opprobriisque famam ejus obterere conarentur, nunquam tamen sunt ausi moribus illius & integritati vel minimam labem aspergere. Hoc maximè argumento nitebatur Comes *du Fay de la Tour Maubourg* ad declarandam Beati viri probitatem. *Satìs mihi signi est*, inquiebat, *eum omnis maculæ expertem fuisse, quòd nullum ipsi vitium objicere adversarii potuerint.* Hujus prudentissimi juxtà & nobilissimi viri verba, quibus id fusiùs exponit, ùt habentur in Actis Canonizationis descripta, huic libro, & virtutum servi DEI compendio, subtexam.

Fieri non potest, inquit, *ut religiosus vir, qui vitam duxerit in luce atque oculis hominum, qualem à Beato Regis traductam vidimus, peccaverit contra pietatem in DEUM, & caritatem in proximum; contra sui status perfectionem, & ministerii sui leges, idque nemo unus animadverterit. Si quo, etiam levi, laborasset vitio, latere procul dubio & fallere nequivisset. Simulet quis, ac dissimulet, quantum volet; indoles prava, impetus animi malè compositi, levitas, arrogantia, seriùs ocyùs, inter frontis integumenta, simulationisque tenebras perlucent. Quantumvìs attento & vigilanti aliquid elabetur, quo vitiosus amor sui se prodat; maximè si excubent collocati velut in speculis inimici, quorum intersit vel minimos observare hominis nævos; illis procul dubio fucum nunquam diu fecerit. Huc adde quòd populus, cujus in flagitia invehuntur ministri sacri, oculis attentissimis, ac pæne lynceis, eorum omnia vestigia contemplatur, nec cupidiùs quidquam facit, quàm censuram quandam exercet de illis, qui se morum censores, & reformatores profitentur: in iisque si quid incompositum, ac minùs firmum, ùt est imbecillitas humana, deprehenderit, quasi castigatores suos ulturus, illud castigat vicissim, ac promulgat. Regis inter homines, & in medio populo versatus semper fuit. Ut erat in vitiis coarguendis acer & invictus, sic totidem sibi hostes paraverat, quot erant in civitate improbi ac libidinosi, qui oculis in eum, quidquid publicè aut privatim ageret, semper conjectis, observabant, num quis daretur carpendi locus, ut redderent ipsi vicem, & reprehensorem suum ovantes gratulantésque reprehenderent. Profectò si quam observassent in illo cupiditatem parùm domi-*

ni-

mitam, si quam ambitionis, inanis gloriæ, aut cujusvis alterius generis labem, sibi non temperassent quin eam illi objicerent. Atqui, post adhibitam omnem diligentiam ut examinarent num ejus facta essent dictis consentanea, num vita sermoni discolor discrepánsque appareret, nihil in eo notaverunt, quod levioris culpæ speciem præ se ferret. Equidem criminati sunt, quòd modum in colenda virtute non teneret, at veri criminis nihil unquam objecerunt, coactique sunt fateri nihil in ejus actionibus ambiguum, nihil suspectum; omnémque vitam immunem reprehensionis, & adversus acerrimæ censuræ tela usquequaque munitam esse. Ex eo demum argumento, minimè omnium obscuro ac dubio, existimare licet quàm recti, quàm integri mores Apostolici viri fuerint. Lib. V.

Neque id satis, (addit idem Comes) *non solùm in eo nihil vitii deprehensum est, verùm etiam omnes testati palàm sunt, summi & infimi, probi improbique, seculares & religiosi, nihil in eodem non sanctum, piúmque animadversum fuisse; nihil quod non spiraret amorem DEI, & inspiraret. Id verò ità professi fuere non ignoti dubiive testes, alieno testimonio incerto, & infido, nixi; sed Vicarii Generales, quos operum piorum conscios & adjutores adhibebat; parochi, ad quos in Missionibus divertebat; homines Societatis, inter quos in collegiis versabatur, populi quos erudiebat, ipsi nequam & dissoluti, quorum vitia objurgabat, qui debitam ejus eximiæ sanctitati, quamvis molestæ sibi & invisæ, laudem denegare nequiverunt.*

Hanc præclaram de servo DEI opinionem tantum abest ut extinxerit ejus obitus, ut potiùs majorem in modum confirmata, & longè latéque per omnes Galliæ provincias, innumeris miraculis ejus ope ac patrocinio editis, disseminata fuerit.

VITA B. JOANNIS FRANCISCI REGIS.

Liber VI.

TOt Christianis & religiosis virtutibus, quas in servo DEI collectas ostendimus, homines adducti, ad mortuum piè colendum certatim conspirarunt. Vix supremum ediderat spiritum, cùm ejus vestes, instar sacrarum reliquiarum, divisæ fuerunt, & quidquid vivens tractatione suum atque usu fecerat. Tunicam ejus talarem parochus Lalovesci retinuit: petasum clàm à rustico sublatum, nobilis matrona magno mercata est: scipio & calcei cupidè conquisiti; ad sacrum pœnitentiæ tribunal, ubi de peccatis jus Anicii dixerat, venerabundus populus concurrit.

Ejus tumulus miraculis & concursu populi celebratur.

In primis ejus tumulus jam tunc ac deinceps, ingenti miraculorum numero celebratus fuit. Sed antequam ea singillatim recenseamus, operæ pretium est cognoscere quid de iis censuerint Archiepiscopus Viennensis, Episcopi Aniciensis & Valentinus, in epistola communiter ab iis ad sacram Rituum Congregationem scripta anno 1702.

In P. Joannem Franciscum ea est in toto Galliæ regno omnium populorum devotio, atque fiducia; is omnis ætatis, sexus, & conditionis personarum concursus ex provinciis, etiam exteris, quamvis per accessus difficillimos ad ejus tumulum; tam longè demum latéque disseminata miraculorum ubique fama; ejúsque apud altissimum gratiæ, optimatum perinde ac vulgarium, universalis opinio, ut à cultu DEI servo exhibendo prohibere diutiùs Christi fideles difficillimum sit.

Episcoporum de illius miraculis testimonia.

Armandus *de Bethune*, Episcopus Aniciensis addidit, in sua seorsum ad eandem Sacram Congregationem epistola, data Kalendis Martii anni 1703. *incredibilem esse populi concursum ad colligendum prodigiosum ejus tumuli pulverem: videri sibi difficile cohibere publicam in eum fidem ac religionem, atque impedire nè in vetitum Sedis Apostolicæ decretis, cultum erumpat.*

Ar-

Armandus *de Monmorin*, Archiepiſcopus Viennenſis in ſuis Lib. VI.
ad ſummum Pontificem litteris Anno 1703. datis ſeptimo Idus Octobr. confirmat ea, quæ ante ſex menſes antiſtes Anicienſis Sacræ Rituum Congregationi ſignificaverat.

Quod iſtis præſulibus metum ac religionem injecerat, ſubinde accidit. Populus, beneficiorum à ſervo DEI acceptorum memor, contineri diutiùs non potuit; cúmque pietati ſuæ liberiùs ac prolixiùs indulgeret, Archiepiſcopus Viennenſis, cujus diœceſi Laloveſcus accenſetur, tolli de templo juſſit pictas tabulas, & alia monumenta præproperæ, & parùm conſideratæ pietatis. Laudavit Roma præſulis vigilantiam ſedulò caventis nè quid contra Sanctæ Sedis Decreta peccaretur. Cohibita, & intrà cultûs legitimi terminos compreſſa, non extincta, nec imminuta populi pietas eſt; dúmque procedens dies illuſtrium DEI ſervorum, quibus ùt ſanctis honor habitus initio fuerat, memoriam paulatim obliteravit, nondum poſt octoginta ferme annos minui cœpit concurſus peregrinorum ad ſepulcrum P. Regis confluentium, DEO videlicet pergente ſervum ſuum novis ac majoribus in dies prodigiis illuſtrare. Sacerdos Societatis cùm ante aliquot annos per agri Velauni, prope Laloveſcum, montes iter faceret, è ruſtico quæſivit num idem ſemper ad viri ſancti tumulum concurſus fieret: *Vides*, ait ille, *iſta montium perpetua juga, quæ nubibus arduum inſerunt caput? tam multis peregrinis teruntur, ut ea paulatim deprimenda putem, & agrum hunc omnem, ſublatis montibus, in latam & apertam planitiem convertendum.* Non aliâ commodiùs, quàm hac immodica, & oculis ipſis ſubjecta locutione, judicavit ruſticus exprimi concurſum poſſe hominum undique ad ſacros ſervi DEI cineres catervatim feſtinantium.

Hoc ipſum fuſiùs, & luculentiùs exponit Archiepiſcopus Viennenſis, ad Summum Pontificem ſcribens, quinto Idus Octobr. 1710. *Dum viveret habebatur*, inquit, *jam tum ùt Sanctus, poſtquam autem è vivis exceſſit, continuò hæſit memoriæ ejus clara, & firma ſanctitatis opinio, ſepulchrum celebre, & glorioſum fuit, cœpit expeti paſſim pulvis tumuli, & ad omnem curationem morbis utiliter adhiberi, locus ſepulturæ, precibus adeuntium, ſacrificiis, donariis, frequentatus eſt.*

Neque in viculo, aut vicinia duntaxat conſtitit religioſa, & privatim exhibita veneratio, latè ſe, promptiſſiméque fudit, per urbes, & provincias, per omne hominum genus propagata, trans

Lib. VI. *etiam maria ad exteras nationes in novam Franciam, ad usque Indias pervenit.*

Ad Ecclesiam, in qua conditæ sunt ejus reliquiæ, crebræ fiunt, pietatis gratiâ, virorum, mulierum, ex omni ordine, Ecclesiasticorum, Religiosorum, Laicorum peregrinationes. Illuc adveniunt Comites, Barones, Marchiones, Gubernatores Provinciarum, Ductores Militum, Tribuni, Præfecti Castrorum, antistites ipsique Cardinales: ac tanta nonnunquam est confluentium multitudo, ut peregrinorum vulgus cogatur in agris pernoctare, domiciliis omnibus pagi per viros principes occupatis. Parœciæ finitimæ ferè omnes aliæ post alias supplicantium ritu procedentes, item omnis generis homines laici, clerici, religiosi concurrunt tam multi, ut per octo menses Ecclesia quotidie ad multam diem referta sit, vixque audiendis confessionibus, administrandæ Eucharistiæ sacerdotes multi sufficiant.

Neque minor numerus è longinquo eleemosynas pro sacris faciendis, donaria, munera in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis mittentium. Subveniunt ab usque Parisiis, Aureliâ, Lugduno, Niverniâ, Gratianopoli, Viennâ, Tolosâ, Perpiniano, Massiliâ, ex Comitatibus Venaissino, & Burgundiæ, ex Pedemontio. Excellentissima Domina Principissa Valdemontii, dum esset in Insubria, ab ipsa civitate Mediolanensi expetiit pulverem petitum ex sepulchro, & largam eleemosynam pro sacris novem diebus continuè faciendis summisit.

Ex hac populorum liberali devotione, & concursu factum est, ut qui locus tribus domunculis rusticis continebatur, jam pagus satìs frequens evaserit, & templum antè incultum, & egenum, jam bellè ornatum vasis, vestibus sacris, aliáque aris apta supellectili sit; quin etiam parochus loci de Veirines, cujus parochiæ Lalovescus tenuis appendix annectebatur, antiquâ sede relicta, Lalovesci jam resideat, ùt in longè potiori statione, ibique vicarios capellanos de proventibus templi sui commodè alat, & muneretur.

Devotionis populorum tam diffusæ, adeò constantis, ardor, & penè impatiens studium, quod tametsi bona spe obtinendi brevì Venerabili Patri Beatorum honores hactenus sustentatum, tamen mandatis, minis, censurarum metu, ægre contineri potuit, timetúrque erupturum in cultum publicum, quem neque impedire ampliùs possint Episcopi si velint, neque, ut velint impedire, facilè adducantur, reveriti offensionem populorum, quibus videbuntur

Præ-

Præsules non tam obsequi Ecclesiæ, bonores sacros differenti, quàm Lib. VI.
obluctari divinæ voluntati tot signis Servi sui gloriam manifestanti.

Ità de Beati Viri miraculis universè scripserunt complures Episcopi, & quàm admirabiles in hominum animis motus excitaverint, ùt testes idonei, retulerunt. Eorum gravissimum testimonium firmant illustrántque suo viginti duo partim Archiepiscopi, partim Episcopi Occitaniæ, quorum extant litteræ ad Clementem XI. in generalibus provinciæ Comitiis, pridie Idus Januar. anni 1704. in hæc ipsa verba scriptæ. *Nobis* inquiunt, *gratulamur, quòd senescente jam mundo, virum tulerit eâ sanctitate conspicuum.* Exultabit solitudo, & florebit quasi lilium, *ajebat olim Propheta,* * quia aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt; saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum. *Isa. 35.* *Nam ea ipsa renovari miracula nos ipsi coràm cernimus, Beatissime Pater, in asperrimis Lalovesci Montibus ad gloriosum Francisci tumulum, ubi cæcos videre, ambulare claudos, surdos audire, mutos loqui, rumor est ubique gentium. Quid non sperare audeat Occitania nostra sub auspiciis viri DEO tam gratiosi? An poterit patriæ non meminisse, iis præsertim temporibus, quibus extincta licèt, ac penè emortua hæresis, carissimam patriam inficit pestifera quadam lue. Ultinam Beatissime Pater, supremo Judicii Vestri calculo crescat in dies, ac multiplicetur Sanctorum gens!*

Satìs supérque argumenti esset in his tot præsulum litteris ac testimoniis, ad demonstrandam multitudinem miraculorum & gloriam, quâ DEUS servi sui sanctitatem eximiam declaravit: nihilominus Christiani populi pia curiositas videtur jure ac meritò postulare, ut nonnulla singillatim distinctéque proferantur.

Quemadmodum Apostolici viri caritas dum viveret præsertim erga ægrotos enituit; sic ad eos morbis, naturæ vires superantibus, liberandos beneficam potentis patrocinii vim sæpius adhibere, & eandem in domicilio felicitatis, ac Beatorum patria, teneræ caritatis indolem retinere visus est. Quædam insigniora duntaxat hujus generis miracula recensebo.

Magdalena *Arnauld*, earum virginum una, quæ S. Franciscum Salesium conditorem venerantur, annum agens quinquagesimum, hydrope gravissimo laboravit Anicii, anno 1656. Medendo ægrescebat malum, adeóque corpus intumuit, ut cùm nequiret pedibus insistere, affixa lecto jacuerit. Ingravescente morbo, membra omnia paralysis ità occupavit, ut nec moveri, nec *Religiosã virginem hydrope ac paralysi laborantem, jámque*

Lib. VI. nisi ægre spiritum posset ducere. Sola, ceteris partibus corporis constrictis, restabat lingua paulò liberior. Novissimis igitur munita Sacramentis, sacro inuncta oleo, & viribus planè destituta, supremum editura singulis momentis spiritum credebatur. Erant omnes cœnobii virgines Beato Regis peculiari studio deditæ. Sub vesperam cùm medici, post dimidiam horæ partem è vita migraturam affirmarent, oblatæ sunt illi Beati Regis sacræ reliquiæ: quas piè deosculata, *O Beate*, inquit, *unum in hac vita meum est votum ut sanctissima DEI voluntas fiat. Optandæ valetudinis alia mihi causa non est, quàm ut novo pietatis ardore, superioris vitæ veternum, & noxas emendem. Fac tuâ quæso deprecatione ut anni spatium mihi divina benignitas impertiat, quo me ad obeundam sanctè mortem comparare possim, & voluntariis pœnis divinæ justitiæ satisfaciam.* Hæc locuta, pectori sacras reliquias imposuit, ac morbum in ipso temporis articulo penitùs depulit; corpus quod horrendum in modum intumuerat, planè detumuit. Somno benignè recreata, postridie manè, eâdem, quâ ceteræ virgines horâ surgens, interfuit rei divinæ, ac deinceps omnia religiosæ vitæ munia obiit, palàm testata nunquam se meliùs valuisse. Quod verò miraculi auctarium & cumulus fuit, anno circumacto cessit è vita, quemadmodum à DEO, interposito B. Regis nomine meritísque, postularât. Morbi & sanationis, itémque imploratæ opis servi DEI, quatuordecim oculati testes veritatem hujus prodigii, adhibito rite jurejurando, testati sunt.

cum proxima luctantem morte, sanat.

Quantâ valeret idem B. Regis apud DEUM gratiâ non minùs intellectum est sanato mirum in modum Joanne Gaspare *Montercymar*, cive Aniciensi non obscuro. De illius morbo tacerem, nisi miraculi, quo depulsus est, magnitudo & novitas quandam dicendi necessitatem imponeret. Tenuis membrana (peritonœum medici vocant) ilia sustinens, cùm tribus locis rupta esset, intestina triplicem hunc exitum nacta, deciderunt, & in eo loco, in quem defluxerant, collecta, excreverunt ad humani capitis magnitudinem, interjectísque annis compluribus, in ligni morem induruerunt. Chirurgi omnia nequicquam experti, ægrotum denique, ùt insanabilem, deposuerunt. Dolores, quibus antea gravissimis conflictatus fuerat, cùm patientiam extorquere tentarent, auditus est tertio Kalendas Februarias anni 1674. in lamentabiles gemitus erumpere, nec quisquam dubitavit quin brevì tot malis finem, (quod unum remedium restabat) mors imponeret. Jacenti

Triplicem herniam civis Aniciensis sanat.

ti ſic & deſtituto filius narravit de puella paralytica repentè ſanata Lib. VI. Lalovesci, implorato B. Regis patrocinio. Montercymar, olim pollicitus ſe ad Beati viri tumulum profecturum, morbum ſuum, tanquam voti nondum exſoluti ac dilatæ profectionis pœnam interpretatus eſt, & ſuadente filio in genua procidens promiſſum & votum, de adeundo quàm primùm ſervi DEI ſepulcro inſtauravit. Vix precari deſierat, cùm aſſurgens, agnovit ſe morbo penitùs liberatum. Extemplo chirurgum arceſſit, qui tumoris priſtini ac duritiæ nullum veſtigium deprehendens, ægrum ſtare, ingredi, ſedere, membra vario componere ſitu juſſit, periclitandi causâ; poſtremò ſanum valentémque declaravit. Audito miraculo civitas accurrit, cúmque infinitus propè numerus eorum eſſet qui & præteritum Montercymari morbum, & præſentem valetudinem norant, nullo negotio reperti ſunt, qui rite interrogati miraculum jurejurando confirmarent. Inter quos primum jure locum obtinet Vicarius Generalis Epiſcopi Anicienſis, medici duo, totidem chirurgi, & alii plerique, tum è Præſidiali curia, tum è Canonicorum cœtu, qui ad ornanda viri ſancti apud DEUM merita, ceteris teſtibus libentiſſimè ſuffragati ſunt.

Mulieres duas cæcitate: tertiam immedicabili carcinomate liberat.

Id quidem minimè videbatur neceſſarium Anicii, qua in urbe tam multa ſervi DEI præſidio patrata prodigia circumferebantur. Jam indè ab anno 1654. Antonia *Stival* oculis omnino capta, eos recuperaverat, admotis utrique Beati reliquiis. Paucis pòſt annis Antonia *Gravier* eodem beneficio donata eſt. Per novem continenter dies B. Regis imaginem capiti cùm impoſuiſſet, additis inſigni fiducia precibus, exacto dierum numero, reſtitutam ſubitò videndi facultatem habuit, cùm admotam oculis faculam antea non videret. Hanc geminam viſûs reſtitutionem gemina dos commendavit, quòd & repentina & conſtans extiterit: tum iis teſtibus utraque nititur, quorum auctoritas, numerus, & gravitas, nullum dubitandi de teſtimonii ab iis dicti veritate locum relinquit. Blancam *Garnier*, civem pariter Anicienſem ſævum apoſtema dirè cruciabat. Mamilla ſiniſtra livido & ferrugineo colore infecta, lapidis etiam indurata ritu, prodigioſa mole intumuerat. Chirurgus, adhibitis emplaſtris ac malagmatis, dolorem lenire, aut pus foràs trahere, diu conatus, nihil effecerat aliud, quàm ut malum augeſceret. Aperire demum apoſtema, & latentem peſtem educere conſtituit. Fruſtrà luctatus, emortuas tantùm pelles avellit, ut verò ſuppuraret abſceſſus, evincere nulla vi, arte nul-

Lib. VI. nulla potuit; & vomica putris in cancrum mutata, ſic torſit ægram, ut dies totos octodecim, ſomni expers, ac nè lecti quidem patiens, traduxerit. Jacebat ſemianimis, ſuíque vix compos præ dolore, cùm neſcio quis auctor ipſi fuit ut Beatum Regis invocans, pulverem ex ejus tumulo ſumptum affectæ parti applicaret. Fluebat nona poſt meridiem hora cùm opem Beati profuſis imploravit lacrymis, ac pulverem, ùt monita fuerat, laboranti mammæ impoſuit. Continuò lenis obrepſit ſomnus, ac tribus pòſt horis expergiſcens mamillam ſiniſtram perſanatam, ac dextræ ſimillimam reperit.

Strumoſi juvenis ſanatio.

Haud minus admirationis habuit in eadem civitate reparata valetudo Guillelmi *Faure* anno 1651. Subjectæ mento ſtrumæ ulceribus ſeptem ſcatebant. Inſpectum à duobus peritiſſimis chirurgis malum, viſum erat nullum arti & medicinæ locum reliquiſſe, ac nè tentare quidem curationem auſi erant. Æger potentiorem imploravit medicum. Laloveſcum ſe contulit, aſperſáque fœdis ulceribus arenâ felicis tumuli, ſic obducta derepente & glutinata ſunt, ut nè cicatrices quidem exſtarent. Inter teſtes miraculi tredecim, Vicarius Generalis, Senatorum Decanus, Canonici duo, alumnus religioſæ familiæ, & duo cauſidici, numerantur.

Puella membris omnibus capta ſanatur Laloveſci.

Miraculi plus quiddam eſt in variis morbis unius ejuſdémque puellæ ſanatis in templo Laloveſci. Huic nomen Joanna Percia, ætas annorum quinque & viginti; patria Vanoſcus, oppidulum agri Vivarienſis. Miſeræ corpuſculum agmen morborum invaſit ſexto Nonas Martii anno 1672. Siniſtrum crus retrò replicatum, femori validè adhæſit: brachium dextrum contractum, & pectori velut affixum eſt: maxillæ duæ ità conſtrictæ cohæſerunt, ut diduci ac diſcludi non potuerint; cúmque ſolido cibo ægra paſci nequiret, juſculis victitabat, quæ per tubum in fauces inſtillabantur, quà vacuum dentes olim excuſſi ſpatium dabant. Renes dimidio pede depreſſi ſubſederant, ſtomacho ad quatuor digitorum altitudinem prominente: denique ad miſeriæ cumulum, oculos amiſit. Tot malis oppreſſa biennium in lecto, motûs omnis expers, decubuit: tribus medicis ac tribus chirurgis artem ſuam & remedia vinci dolentibus. Puella humanam deſperans opem, ad Beatum Regis confugit; eúmque crebris appellans precibus, in magnam recuperandæ valetudinis ſpem inducta eſt. Quia verò DEUS, ùt Auguſtinus docet, peculiaria quædam beneficia certis addicit locis, quæ religioſa ſanctorum ſuorum veneratione impenſiùs

ſiùs celebrantur, ut illis gratiæ, tanquam ſequeſtris ac deprecatoribus, majores habeantur, Joannæ Perciæ conſtitutus, locus ubi ſanaretur, Laloveſcus erat, ad ſacros viri ſancti cineres. Injectam ſibi mentem divinitus, & ſummam adeundi loci cupiditatem, ſenſit, egítque cum parentibus enixè ut eò deportaretur. Non poterant adduci ut filiæ facerent poteſtatem itineris ſuſcipiendi longinqui & periculoſi, cùm aſpera ſæviret hiems, cùm ipſâ extremâ vitæ ſpe penderet. Cùm tamen inſtare & urgere non ceſſaret, exoratis demum parentibus, viæ ſe committit pridie nonas Januarii 1674. in lectica Comitis *de Cadenac*, membris omnibus capta, mortíſque ſpeciem tetram in pallido & deformi vultu præ ſe ferens. Proficiſcentem populus commiſeratione motus, lacrymis votíſque ſecutus eſt, & chirurgus Calvinianus, piæ parentum credulitati inſultans, non dubitavit palàm profiteri, ſe à Calvini partibus diſceſſurum ſi ſanam & valentem aſpiceret. Precibus per novem continuos dies Laloveſci indictis; primo die, cùm ægrota intereſſet rei divinæ, manus dextra motum ſuum ac naturalem ſitum recepit, & altero die ſiniſtra: ſingulis diebus aliæ ex aliis partes corporis explicabantur; adeò ut, nondum peractis precibus & ſacris novendialibus, ſanitatem integram adepta ſit. Vanoſcum nihil cunctata rediit, non jam in lectica jacens, ſed equo inſidens in quem ſinè ullius adminiculo inſiliit. Lib. VI.

Vanoſcus omnis, quæ proficiſci paralyticam, ſemianimem, ac moribundam viderat, vix credibilem de illius ſanitate nuntium admiratione & gaudio perculſa excepit. Ubi verò adventare cognitum eſt, populus obviàm effuſus, ſubeuntem triumphantis ritu, deduxit domum, gratias DEO immortales agens qui tam inſigni prodigio ſervi ſui nomen illuſtraſſet. Peragravit provinciam fama, & ad priſtinam Beati viri venerationem acceſſio non mediocris eſt facta. Poſtulante Laloveſci parocho, actum eſt ſtatim de cognoſcenda & comprobanda miraculi veritate: & jubente Archiepiſcopo Viennenſi, judex Eccleſiaſtico foro præpoſitus rem geſtam in tabulas publicas retulit. Idem, poſt aliquot annos ab Epiſcopis Anicienſi & Valentino factum. Teſtes undeviginti graviſſimi & probatiſſimi, è juris formula interrogati fuere; in iiſque profeſſi ſunt duodecim nihil à ſe de morbo & ſanatione affirmatum eſſe quod ſuis ipſimet oculis compertum non haberent. Chirurgus hæreticus, qui promiſerat, ſi ſana reverteretur è Beati tumulo, ſe ad catholicam religionem rediturum, declaravit eam à ſe

 dere-

Lib. VI. derelictam ideo fuisse, quòd ipsius morbum insanabilem judicaret. Admonitus promissi, & ad catholicam religionem amplectendam invitatus, non stetit ille quidem promissis, & (quæ sunt arcana & terribilia DEI judicia) in errore perseveravit ; facere tamen non potuit quin veritati miraculi testimonium daret, noménque suum in Actis subscripsit.

Virginis DEO consecratæ varii morbi miro modo depulsi.

Ad vicinas paulatim urbes progressa miraculorum fama pietatem populorum, pietas fiduciam excitavit : fiducia novis prodigiis locum dedit. Molinis, quæ Galliæ civitas est præclara in agro Borbonio, visitur insigne cœnobium Virginum, quibus nomen à Visitatione Beatæ Virginis sanctus fundator imposuit. In eo degebat Joanna Maria *Peret*. Hanc morbi quadriennio toto, alii aliis velut succenturiati, sinè ulla intermissione oppugnaverant. Novissimè paralysis crura invasit, iisque cum sensu motum omnem eripuit. Ambo sic exaruerunt, ut instar spoliati carne cadaveris, ossibus siccis, & inter se nexis, tantum cohærerent, & ipsa, quâ tegebantur, pellis, frustatim decideret. Reliquum interim corpus gravissimi dolores discruciabant, adeóque exhausta viribus erat, ut moveri jam non posset, quin animus ipsam, ac pæne vita, deficeret. Biennium sic exegit, templo, precibus publicis, ac divinia re carens, etiam diebus vel maximè festis ac solemnibus. Tribus, antequam tot incommodis liberaretur, mensibus novum morbi genus patientiam ejus defatigavit. Adjuncta paralysi hydropysis stomachum tetro atque immani tumore distendit. Spes fuerat ægram aquis Vichianis primùm, deinde Borboniis, relevandam. Utrisque, & aliis compluribus remediis, incassum adhibitis, languentem ardentissima febris, convulsionibus comitata, sic prostravit, ut medici negarent, nisi interposito miraculo, sanari, & ultra mensem posse vivere.

Hoc edicto damnata comparabat se ad mortem, cùm vitam & res gestas B. Regis, quæ fortè legebantur, audiens, & attonita miraculis, à DEO, servi sui deprecatione, patratis, erecta est in spem certam fore ut ejus patrocinio sanaretur, ac preces novem diebus perpetuis solvendas inchoavit, permultis virginibus sacris ex eodem cœnobio suis precibus ægram adjuvantibus. Invalescebat nihilominus atrox morborum impetus, nec moribundæ tamen fiducia infringebatur. Ultimo novendialium precum die, qui sacram Virgini Beatæ, in templo filium offerenti, lucem proximè sequebatur, incessit illam vehemens cupido rogandi ut in chorum depor-

portaretur, ad ſumendum cæleſtem cibum. Hæſit aliquandiu ſuſpenſa cœnobii moderatrix, quippe metuens, nè viribus planè defectam in grave periculum conjiceret. Ad extremum ægrotæ precibus victa, & ejus fiduciam, tanquam omen futuræ ſanitatis accipiens, petenti aſſenſit. Igitur delata in chorum, panem Euchariſticum ſumit, ſubmiſſis genibus, & brachiis ſociarum virginum utrinque ſuſtinentium nixa. Vix ſacroſanctum Chriſti Domini corpus acceperat, cùm redire ſubitò vires ſenſit, ſeque alieno jam adminiculo non egere ſignificavit. Stetit cùm recitaretur Euangelium, mox, nullo adjuvante, genibus per totum ſacrificium incubuit, gaudio, propter ſingulare Numinis beneficium, lacrymíſque perfuſa. Peracto ſacrificio aſſurgens & virium factura periculum, ingredi per chorum cœpit. Virginum præpoſita de prodigio certior facta cùm approperaſſet, viderétque cruribus rectam inſiſtere, dextram porrexit, velut adjuvandi causâ; verùm ſua ſponte, ac ſinè cujusquam ope ambulantem cernens, ſpectare ac mirari ſatìs habuit. Sacerdos, à ſacrificio redux ad crates choro prætentas accurrit, & compertum oculis ipſis miraculum prædicans, auctor præpoſitæ fuit, ut hymnum *Te DEUM* ad gratias DEO agendas decantari juberet. Joanna Pereta primas ſacri cantici voces præcinuit, totúmque magna & plena voce decantavit, virginibus reliquis alterna vice accinentibus. Longum illo ipſo die valedixit valetudinario, in quo totis quatuor annis incluſa jacuerat; prandit cum ſociis virginibus in triclinio, & ad conſueta cœnobii munia ſe retulit. Lib. VI.

Pervaſit ſtatim urbem prodigii fama. Concurſus ingens ad monaſterium factus; locus in cœnobio, qui externis adeuntibus vulgò patet, confluentium multitudini anguſtus fuit. Víxque ſatisfacere inviſentium & interrogantium piæ curioſitati Pereta potuit. S. Petri Parochus, monaſterii ſuperior, inter primos ingreſſus, eò vehementiùs obſtupuit, quòd eandem pridie in extremum adductam diſcrimen ac depoſitam aſpexerat. Medicus à Superiore accitus, eámque intuens, *Superi*! exclamavit, *quid iſthuc miraculi eſt!* ac teſtimonium de illo nihil moratus dedit, quod in Canonizationis Acta relatum eſt. Ad miraculi magnitudinem velut cumulus acceſſit, quòd Pereta jam indè à ſuſcepto religioſæ vitæ inſtituto parùm firmis uſa viribus, eas deinceps robuſtas experta, illis gaudere, ac valere pergit, ſuperſtes etiamnum, & teſtis locuples cæleſtis beneficii, quod à DEI, ſervum ſuum honorantis, præ-

Lib. VI. potenti manu feliciter eſt conſecuta. Hæc admirabilis ſanatio incidit in decimum Kal. Decembres anni 1701.

Anno ſequente Claromontanus Epiſcopus, juſſu Romani Pontificis, in rem præſentem venit, cum duobus Sacerdotibus, Eccleſiaſtico munere atque auctoritate præditis, ut prodigii ſeriem & adjuncta rite perſcriberet. Joannam Peretam, & virginum præpoſitam; deinde monaſterii Superiorem, confeſſarium, & capellanum, itémque optimates civitatis, audivit. Duodecim in primis teſtes oculatos diligenter interrogavit de ratione tota contracti, aucti, & ſanati morbi, ac propoſitis ſacroſanctis Euangeliis, jusjurandum apud ſe juſſit dicere. In ea verò quam ad ſummum Pontificem ſcripſit, epiſtola, urbem totam, nullo contradicente, miraculi fuiſſe teſtem aſſeverat.

In eadem urbe feminis duabus ſanitas mirabiliter reſtituta.

Idem Epiſcopus de altero miraculo quæſtionem inſtituit, paucis poſt primum menſibus ſecuto, in perſona Mariæ Ludovicæ *du Rye*, virginis ejuſdem monaſterii. Pollicem putris vomica vitiaverat, & acerbiſſimum toto corpore dolorem ſparſerat. Chirurgus dum apoſtema pertundit, nervum, cujus ope pollex inflectitur, aut ſecuit aut læſit, adeò ut pollex aridus, alimenti, coloris, & nativi caloris expers, nec flecti, nec moveri potuerit. Anni ſeptem in veſtigandis & adhibendis omnis generis remediis abſumpti erant. Irrita ceciderant omnia. Cùm Soror Pereta Mariam *du Rye*, ſociam virginem admonuit, ut in Beati Regis fidem clientelámque ſe conferret. Mox ambæ in ædem ſacram pergunt, & poſt brevem precationem, genibus adhuc nixæ applicant arido pollici ſacras ſervi DEI reliquias. Momento pollex moveri, flecti, ſentire, ali cœpit; dolórque priſtinus in perpetuum abſceſſit.

Eodem anno res planè inſolita Molinenſem pariter civitatem admiratione complevit. Margarita *Briſſon*, earum virginum una, quæ peculiari voto curandis ægris ſe devovent, ac vulgò nominantur Hoſpitalariæ, cùm in cœnobio ſancti Joſephi degeret, vexata morbo fuit, cujus cauſam, atque adeò nomen, medici ſemper ignorarunt. Diebus ſingulis ſemel iterúmque, per octo & duodecim interdum horas, eo miſere cruciabatur. Ad primos mali aſſultus erumpebat è ſtomacho lamentabilis gemitus, velut hominis deſperantis; aliàs rauca vox, & interciſa imitabatur moloſſum graviter latrantem; & ad ſexcentos indè paſſus ejuſmodi latratus audiebatur. Poſt hæc murmura, & quædam pugnæ præludia, ſævis convulſionibus totum corpus, per plures nonnunquam horas, qua-

quatiebatur. Usuram vocis per octo menses aliquando ægrota perdidit: aliàs audiendi sensum, aliàs oculis acutus dolor ingruebat. Cùm vero crudelis belli nulla fieret intermissio, & cruciatus alii alios exciperent, impar tot malis virgo fatiscebat. Sudabant consilii & artis inopes medici, quotquot erant in tota regione peritissimi, & annis quatuor omnia conati, ubi nihil succedebat, morbúsque adversùs remedia pertinax majora in dies capiebat incrementa, spem cum conatu abjecerunt; ac triennium jacuit misera, omni auxilio solatióque destituta. Septem annis in hoc luctuoso statu transactis, cùm B. Regis nomen editis passim miraculis celebrari audiret, impelli se vehementer sensit ut ejus opem imploraret. Ad sacram mensam accedere per novem continenter dies, ac certas fundere preces instituit: addit votum de novem sacrificiis, quæ Lalovesci curaret facienda, si convalesceret; singulis diebus in aquæ scypho pulveris, è Beati tumulo sumpti, particulam hauriebat. Nihil votis interim respondebat: & pridie ejus diei, qui finem precibus novendialibus erat impositurus, graviores impetus velut insultantis morbi sustinuit. Animum nihilominus non despondit, & instauratis illo ipso die majori fiducia precibus, hostem denique obstinatum penitùs expugnavit, ac valetudinem repentè, omnibus incommodis solutam, adepta, nihil tam multiplicis, tam diuturni, & atrocis mali præter nomen & memoriam dulci mixtam gaudio retinuit. Præter illustre testimonium unius è regiis medicis, qui morbi gesserat curam; ipsa ægrota, ejus præses & cœnobii præposita, virgines valetudinarii præfectæ, aliíque septem testes, apud Episcopum Claromontanum rite jurati, de miraculi veritate consenserunt. Lib. VI.

Varii morbi in agro Vivariensi curati.

Non id ago ut hìc enumerem omnia beneficia & dona singulari DEI benignitate, ac viri sancti patrocinio, Vivariensibus impertita. Videtur enim DEUS servi sui gloriam præcipuè amplificandam in hac provincia suscepisse, quam ille Zeli sui Apostolici præcipuum theatrum habuerat. Circa annum 1650. Elizabetha Angela *de Rossillon*, uxor Ademari *de Gayelles*, domini *de Suchet*, dum filum è colu deducit, fusum altè in manum adegit. Gravi dolore statim corripi, animo interdum linqui; brachium usque ad alam, ad magnitudinem & molem femoris, turgescere, adeò ut omnino præcidendum chirurgi assererent. Elizabetha nullam in humanis remediis spem relictam videns, Beatum Regis, fusis lacrymis ac precibus, appellat, & ejus sepulcri pulverem bra-

Lib. VI. chio aſpergens, dolorem, tumorem, ipſas denique cicatrices, abſterſit.

Non caruit portento, etiam ſplendidiori, Fanum S. Feliciani, quod oppidum eſt ejuſdem provinciæ. Joannes *Martin*, tabellionis filius, manibus ac pedibus ità diſtortis natus erat, ut eorum uſu penitùs captus eſſet: ipſis quoque cruribus retrò replicatis, deforme inutilis ac debilitati corporis onus totis quinque annis ægre tulit. Suſanna *Caſteneuve*, ejus mater, certior facta de miraculis ad tumulum Beati patratis, filium ipſa Laloveſcum duxit, paulò poſt obitum ſervi DEI. Cælеſti refecta pane, pueri pedes & crura pulvere ſepulcri defricanda curavit, qui ſtatim exiliens curſitare per templum cœpit, omnibus, qui aderant, ſtupore defixis. Non immorabor diutiùs recenſendis prodigiorum iſtorum teſtibus: non Acta, & publicas tabulas conficio, ſed hiſtoriam ex ipſis Actis Canonizationis deprompram conſcribo.

Filius Comitis du Fay de la Tour Maubourg *ſanatus.*

Regis, cælo receptus, non poterat non meminiſſe Comitis *du Fay de la Tour Maubourg*, cum quo conjunctiſſimè in terris vixerat. Acceptum ab amico beneficium ſic pius æquè ac ſapiens Comes narrat. *Ante paucos annos*, inquit, *filium meum in oppidum agri Vivarienſis, Annonæum, tribus leucis Laloveſco diſtans, miſi cum duobus notæ mihi probitatis ſacerdotibus, qui curam pueri gererent. Hic annos octo vix ingreſſus in gravem incidit morbum, quo vita in ultimum diſcrimen adducta eſt. Continua dierum duodecim febris in corpuſculum ità deſævиit, ut dorſi ſpinam inverterit; unde gibbus & inſignis pueri deformitas extitit. Hanc arte nulla emendari ac tolli poſſe, medici, quibus ægroti curatio commiſſa, renuntiarunt. Sacerdotes, pueri moderatores, quibus propter indolem ſuaviſſimam, egregiáſque dotes erat cariſſimus, ejus periculo, & ferali medicorum ſententià, conſternati, ſpem tamen curandi morbi non abjecerunt; imò votum in hæc verba conceperunt, fore ut Laloveſcum ad ſacros P. Regis cineres iter pedibus conficerent, ſi ſaneſceret. Non incaſſum miſſæ preces & vota. Gibberoſi dorſi tetra deformitas, nulla medicorum aut chirurgorum ope adhibita, nullis relictis veſtigiis, ſubitò evanuit: juſtámque modò & concinnam cum dignitate formam ac ſtaturam obtinet. Cogito illum quàm primùm mittere Melitam, ubi inter equites S. Joannis Hieroſolymitani cooptatus eſt.* Nemo tota in provincia veritatem hujus miraculi vocavit in dubium; cujus Annonæum omne teſtis fuit, ſed quamvìs unius Comitis *du Fay* teſtimonio niteretur,

ea

ea eſt viri probitas, ſapientia, nobilitas, ut ſolus plurimis æquiparari & anteſtare teſtibus poſſit. Lib. VI.

Ludovica *de Romezin*, cujus toties mentionem fecimus, non minorem ſervi DEI tutelam & benignitatem eſt experta. Hujus filiam rabioſi canis morſus in eas redegerat anguſtias, ut inſanâ æſtuans rabie, cum portentoſis juncta ſymptomatis, dirè torqueretur. Mater filiæ vicem dolens, ſancti ſui moderatoris opem popoſcit. Nondum precari deſierat, cùm deferbuit furoris æſtus, & priſtina filiæ tranquillitas, cum integra valetudine, rediit.

Infinitus illorum eſt numerus, qui febribus pertinaciſſimis conflictati, promptum tutúmque remedium in votis ſervo DEI nuncupatis habuerunt. Ejus reliquias cùm alligaſſet collo filia Godefridi *Monteil*, lentam, inteſtinámque abegit febrim, quam medici letalem eſſe judicabant. Marcellinus *Beget*, præfectus Anicii perpetuus, à medicis derelictus, ad Beatum Regis ſupplex confugit, ejúſque ſacris exuviis lateri admotis, inhibuit pleuritidem & febrim, quæ certam illi mortem intentabant. P. Victor *du Fornel*, è Societate JESU pro teſtimonio juratus affirmavit, ſe in urbe Bliterenſi continuâ peſſimè affectum febri, & à medicis deſtitutum, viri ſancti apud DEUM merita interpoſuiſſe; ac repentè in priſtinam integrámque valetudinem fuiſſe reſtitutum. Annam Pareliam è pago *Molas* oriundam, cùm ab octo menſibus febris omnibus invicta remediis, ureret, Laloveſcum ſubiit quo die accedere febris conſueverat. Illa verò loci ſanctitatem reverita, neque illo die, neque ullo in poſterum alio acceſſit. Rediit Parelia ſuum in pagum eodem die quinque leucis Laloveſco remotum, viribus & valetudine, multò, quàm unquam antea, melioribus.

Anicienſis matrona rite apud Eccleſiaſticum judicem teſtata eſt unum è ſuis liberis, poſt conſumpta nullo fructu ſexcenta remedia, cùm animam proximè acturus eſſet, agerétve, ſinè motu, ſenſu, pulſúque, commendatum à ſe fuiſſe ſervo DEI, ac momento pòſt, puerum ſanum ac valentem poſtulaſſe ut ſuis indueretur veſtibus ad ſpectandum è feneſtra, ſodalium pœnitentium, qui fortè prætenbant, agmen.

Virgo nobilis, itidem Anicienſis, poſt diuturnum & periculoſum morbum, diſtorta manſerat, inclinata in dextrum latus, & cruribus capta. Laloveſcum à parentibus delata, ſtatim atque ſubiit interiorem templi partem, ubi viri Sancti corpus compoſitum eſt, ſubalaria projecit fulcra, ſinè quorum adminiculo pedem priùs

Lib. VI. proferre non poterat ; Aniciúmque se retulit tam recto corpore, tam solutis quàm ante morbum, cruribus. Armandus de Bethune de se ipse narrat, in suis ad summum Pontificem litteris, * è morbo exitiali, ac pestilentiæ simillimo, se recreatum fuisse, Beati meritis ac suffragio. Ejus vultum in tabella pictum habere semper præ oculis hic præsul voluit, omnémque operam navavit ut eum sanctorum numero adscribendum curaret. Vitalem *Touchè* in Fano Sancti Boniti natum, crebræ accessiones febris violentæ ità emaciaverant, ut ossa & pellis totus esset. Extans in ore pallido, & exhausto, mortis lurida species eam non longè abesse significabat. Adire Beati tumulum cùm statuisset, impositus est equo, duobus hinc atque indè famulis, vacillantem sustentantibus. Lalovesci sacram ingressus ædem, distendit se toto corpore supra locum, in quo beati cineres conditi, humúmque crebris petens osculis, fletu multo conspergebat. Pòst paulò assurgens exclamavit præ gaudio, *sanus sum*, *P. Regis beneficio*, *sanus sum.* Tam prompta, tam integra, sanatio fuit, ut è vestigio reversus sit in patriam pedes, prodigii certam fidem omnibus vel solo conspectu facturus.

* *Prima die Martii 1703.*

Mulieris, in pago Lalovesci vicino, crura ulceribus putridis pridem scatentia, vermibus fœdis circumfluebant. Malignus humor vitiatas arrodens carnes, acerrimo dolore miseram laniabat. Remediorum vim inutilem exosa, Lalovescum petit, ubi pulverem ex humo tumuli sumptum cruribus affricans, non modò excussit omnem doloris acerbitatem, sed coëuntibus & obductis ulceribus, pristinum candorem cruribus purgatis recepit. Mansit duntaxat modica cicatrix miraculi perenne monumentum.

Guillelmus *le Maure*, vicarius Judicis *de Louse* in tractu Velauno, & in oppidis agri *du Mas* Ballivius, ùt vulgò vocant, oculis adeò imbecillis utebatur, ut nè proximè quidem admota discerneret. Conferre se Lalovescum, ibique peccatorum onus deponere statuerat. Templum ingressus ad sacrum pœnitentiæ tribunal accedere nullo pacto potuit; infinita populi multitudine omnem aditum intercludente. Aliquandiu præstolatus, ac tædio demum victus, discessit. Vix abierat, cùm oculos omnino perdidit. Subiit hominem dolor, secum reputantem ibi se videndi sensum amisisse, ubi eundem tam multi recuperabant. Hanc impatientiæ suæ pœnam ratus, rediit Lalovescum, perceptísque pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramentis, lumina sic recepit, ut perspicax oculorum

acies

acies minima quæque distingueret. Peregrinorum turba, cæcitatis, & in pœnam impositæ, & in honorem Beati, sanatæ, oculata testis, *DEUM in Sanctis suis laudavit.* Nec laudibus pepercit Guillelmus *le Maure*, & beneficii memor, oculos sibi restitutos lacrymis, quas gaudium ciebat, sæpe, rem gestam ubique prædicans, implevit. Lib. VI.

Catharina *Bourette* ob innatum cruri tetrum ulcus, acerbissimis jam à triennio afflictata doloribus; & Maria *Morizone* usu pedum ab annis quinque & viginti orbata, cùm ambæ certas novem diebus perpetuis exsolvissent preces Lalovesci, gemino incommodo ità sunt liberatæ, quasi nunquam eo laborassent. Crederes è servi DEI corpore manare vim salutarem, quæ morbos vel gravissimos & pertinacissimos debellaret.

Petrus *Royer*, Sacerdos ex oppido *Priaux*, cùm iter faceret, brachium sinistrum contremiscere, convellíque sensit. Diu multúmque conatus hunc tremorem cohibere, nihil profecit; ac brachium vehementiùs in dies concuti atque agitari cœpit. Vexationis diuturnæ aliquando pertæsus, ac jacens in lecto, incubuit in brachium affectum, ut violenti motus impetum comprimeret. Verùm humor sævus, tremoris causa, nec patiens quietis, ità efferatus & irritatus est, ut convulsione repentina ægrotum lecto in pavimentum excusserit. Ad strepitum accurrens familia, ubi semianimem, & oppressum, malo vidit, deploratam ejus vitam ac salutem credidit. Oculos ille, cum voce, tollens, peregrinationem ad Beati viri tumulum vovet. Eò profectus, humum sepulcri piè osculatur; deinde Sacramentis rite procuratus, statim atque Sanctissimum Christi corpus sumpsit, quies in omne posterum tempus trementi brachio, & vigor pristinus membris restitutus planè fuit.

Adolescentulam phrenesi correptam insanus furor indignis exercebat modis. Mater omnibus remediis frustrà tentatis, filiam per quatuor menses ad varia loca circumduxit, quæ pietas publica celebrabat. Meliùs puellæ factum non est. Luctu & dolore perdita, illam denique ad tumulum B. Regis sistit. Resedit ipso in vestigio dirus furor; furori mens bona ratióque successit.

Vel sola, quæ Lalovesci patrata sunt, prodigia materiam plurimis voluminibus copiosam præberent: itaque partem illorum hìc omittere cogimur, partem in unum simul acervum congerere.

Anno 1654. Joannes *Montalit*, ejúsque soror, pedum & cru-

Lib. VI. rum uſu privati; Catharina *Montagnon* diœceſis Anicienſis, cruribus item capta; Jacobus *Pival*, ex eadem diœceſi, dextra corporis parte à triennio paralyticus, omnes ad ſervi DEI tumulum producti, negatam humanis remediis ſanitatem ſunt conſecuti.

Haud ſcio tamen an ulla res majorem loco venerationem & famam conciliaverit, quàm exemplum quod ſequitur. Joanna *Marcou*, uxor agricolæ pagi *Parablan*, poſt editam non improſpere, ùt apparebat, prolem, occupata gravi morbo, doloribus maximis & ferè continuis angebatur. Amiſſo membrorum omnium, præterquam manuum & linguæ, uſu, ſeptem annos in lecto decubuit, medicis artem omnem & induſtriam fruſtrà periclitatis. Prodigiorum fama, quæ ad tumulum ſervi DEI quotidie narrabantur edita, mulieris fiduciam ità excitavit, ut ejus meritis ſe procul dubio ſanandam confidens, voverit piam ad ſepulcrum Beati peregrinationem. Illuc plauſtro vecta, menſe Martio, ſtatas novem dierum preces inchoavit. Primo ipſo die ſatis virium adfuit ut genibus niteretur: ſecundo ambulavit: diebus ceteris, ad integram uſque & ſtabilem ſanitatem ità proceſſit, ut poſtremus dies è novem, poſtremus quoque malorum omnium exiiterit.

Maria *de Ville*, è pago prope Fanum S. Deſiderii, in Diœceſi Anicienſi, filiam cæcam Laloveſcum duxit. Maternæ preces ab oculis filiæ caliginem & cæcitatem abſterſerunt, & voti compos utraque domum repetiit. Joanni *Liotier*, è pago, cui Sancti Mauritii nomen incolæ fecerunt, filius erat contractis & inverſis pedibus. Eum deportandum curavit Laloveſcum. Unde rediens uſu pedum tam libero potitus eſt, quàm ſi nunquam eo caruiſſet. Solum ſæpe votum inviſendi tumuli, miraculis illuſtribus ſubitò remuneratum fuit.

Jacoba *Blanchard* Anicienſis, infelici functa partu, miſerabilem & horrendum in modum jactata morbo multiplici languebat. Convulſionum vis dura collum, brachia, crura diſtorſerat; uſumque ſenſuum, vocis, ac mentis ferè omnem eripuerat. Jam, in extremo vitæ brevi extinguendæ diſcrimine, cereum benedictum tenebat manu, cùm maritus, edito Laloveſci adeundi voto, ſanam uxorem repentè habuit.

Magdalenam *Ciriotier* ignota ægritudo duris conſtrictam vinculis ab annis quinque, ac partium ferme corporis omnium uſurâ ſpoliatam, tenebat. Nihil in humanis auxiliis relictum ſpei. Ergo ad Beatum Regis converſa, vovet ſe tumulum ejus adituram, & re-

& repentè voti damnata, vires ac membrorum omnium usuram Lib. VI. recuperavit. Virginem non humili loco natam, nomine *de Plinchal*, quartum jam mensem adeò pertinax & maligna urebat febris, ut accessiones violentæ producerentur quotidie ad horas octo. Promisit se Lalovescum ituram, & fugata continuò febris est. Hæc omnia perstringere leviter, & cursim delibare, cogor, quæ fusiùs, si liceret, exposita plus amœnitatis & admirabilitatis erant habitura.

Ludovicus *Pinot*, Regius procurator in Senescalli curia urbis Aniciensis, apud judicem Ecclesiasticum juratus affirmavit uxorem suam per tres menses in lecto jacuisse, quòd viribus planè exhausta nullam corporis partem movere posset: cùm verò nuncupasset votum de illa beatum ad tumulum deportanda; pæne voto citiùs ægram perfectè convaluisse.

Jacobus *Lamit*, Aniciensis, authentico scripto testatum voluit Petrum *Lamit*, filium suum sæva pleuritide laborantem, & à medicis destitutum, cùm peregrinationem ad sepulcrum servi DEI promisisset, octavâ post conceptum votum horâ, cibum poposcisse, ac morbum penitus depulisse. Causidicus in senatu Tolosano, cui nomen *de Charenton*, similis voti reus, æstuosam, quâ torrebatur, febrim, & extrema omnia minitantem, restinxit. Laurentium *Petit*, è parœcia Marlensi, trimum puerum, trimestris febris depascebatur. Pueri pater pollicitus est daturum se operam ut æger ad sepulcrum Beati viri deferretur. Nec febris, hoc promisso admonita, recedere distulit. Sed cùm pater promissum exsolvere differret, graviori morbo repentè filius implicitus est, adeò ut certa puero pernicies immineret, proruptis è corpore intestinis quæ suum in locum reponi nullo pacto poterant. Tunc patrem subiit memoria dolórque promissi nondum persoluti; veniam à DEO precatus, illud redintegrat, & pueri valetudo, redditis alvo intestinis, simul est redintegrata. Miraculo, quod sequitur, inest aliquid singulare. Joachimus *de Chambon*, infans, cùm quartum aut quintum duntaxat mensem ageret, ad vitæ vixdum è carceribus emissæ, calcem, urgente morbo, venerat. Pater pueri, doloris impatiens, Lalovescum accelerat. Vix ducentos confecerat passus, cùm properantem famulus anhelans assequitur, & narrat, infantem repentino risu lætam explicuisse frontem, ac prorsus valere. En aliud isti non absimile. Filia domini *de Champagnac*, nata tres annos cum dimidio, eò loci redacta erat, ut per duas horas dubitatum fuerit viverétne, an vixisset. Mœstis-

Lib. VI. ſtiſſimus genitor ſupplici prece DEUM interpellat, promittítque, ſi laboranti filiæ bonus adſit, curaturum ut ad tumulum B. Regis deducatur, ſeque votivo munere non contemnendo ædem ſacram Lalovesci ornaturum. Illo ipſo temporis puncto, ægra vivere, valere, & firmis uti viribus eſt viſa: mox cum patre ac matre ad referendas auctori tanti beneficii gratias Laloveſcum eſt profecta.

Ægroti complures tumuli B. Regis pulvere ſanati.

In ipſo ſepulcri ſervi DEI pulvere mirum quantum ad morbos, præter naturæ modum ac vires, propulſandos, opis ac præſidii comparatum erat. Auctor ejus vitæ, quæ prima omnium edita fuit, affirmat ævo ſuo, id eſt, circa annum 1650. huic pulveri omnium medicamentorum vim & efficaciam inditam fuiſſe, ſibíque probè notum eſſe civem non ignobilem, qui hoc adhibito remedio, perditam valetudinem ægris ampliùs triginta reſtituerit. Victor *du Fornel*, è Societate JESU, rite interrogatus, apud Vicarium Generalem Epiſcopi Anicienſis, dixit pro teſtimonio innumeros ægrotos ad vitam è media morte hujus pulveris beneficio à ſe fuiſſe revocatos. Addit, eundem à Domina *de la Roche*, ſorore ſua, laborantibus & moribundis propè infinitis admotum, ſalutem illis miro quodam & incredibili modo attuliſſe.

Prodigia edita Laloveſci, cùm divina res fieret ad Beati tumulum.

Peculiari quoque gloria tumulũ Beati viri DEUS ornatum voluit: ídque præſertim perſpectum eſt, quo tempore ad ejus ſepulcrum divina res fiebat. Antiſtita virginum Sanctæ Claræ, in oppido Annonæo, cùm in domeſtico cœnobii ſui convictu puellam nobilem à medicis depoſitam doleret, rogavit ſacerdotem Societatis ut oblato Laloveſci ſacrificio, ægrotam Domino commendaret. Ipſo ſacrificii tempore puella convaluit.

Joanna *Rignol* Annonæi quoque civis, contracti & aridi cruris uſum, quo diu caruerat, celebrato ad Beati ſepulcrum ſacro recuperatum gaudens, eodem crure jam ſano & robuſto, iter ad agendas liberatori ſuo gratias Laloveſcum intendit. Anno 1647. Bertrandus *Bochet* è Societate JESU poſt peractam hebdomadæ ſanctioris diebus Miſſionem in oppido diœceſis Anicienſis (nomen oppido Tens) Laloveſcum petebat feriâ quartâ poſt Paſcha, ut B. Regis ſepulcrum venerabundus viſeret. Occurrit illi mœſta mater, cujus filius duodecim annorum, fulcris ſubalaribus malè nixus, gradum ægre moliebatur. Ab ea rogatus ut inter ſacrificandum, filii ſanitatem à DEO poſtularet, rem divinam fecit, eáque nondum abſolutâ, puer nullo fultus adminiculo, ſolutis pedibus inambulavit; nec ità multò pòſt ſubalaria bacula, teſtes accepti beneficii, Laloveſcum ipſe detulit. So-

Sola servi DEI sexcentis in morbis invocatio Levamentum illis & finem dedit. Anno 1641. Blancha *Chastaniere* filia libellionis oppidi Bocancii correpta febri fuit tam pertinaci, ut remediis irritata valesceret. Ejus pater Beatum Joannem Franciscum Regis obsecravit ut carissimæ filiæ succurreret; eodémque momento febris victa fugit. Lib. VI. *Variorum sanatio morborũ, invocato DEI servo.*

Civis Palliarensis, honesto loco natus, nomine *Chaloye*, gladio vulneratus in inguine, ac malè curatus, in febrim ac certum vitæ periculum incidit. Desperatâ salute, cùm proximè moriturus crederetur, DEI famulum invocavit. Ille verò tam præsens ac propitius adfuit, ut abactâ continuò febri, nè vulneris quidem vestigia manserint.

Anno 1653. virgo religiosa cœnobii *de Gimont*, Antonia *de Maisonneuve*; & Benedicta *Tranchant*, è diœcesi Aniciensi, cùm nihil in medentium arte subsidii reperirent, in Beati nomine, quod religiosè appellarunt, promptum & facile suis incommodis remedium invenere.

Unus è filiis D. *Duprè de la Suchere*, viri propter nobilitatem æquè ac probitatem clarissimi, cùm sinè motu, ac venæ pulsu jaceret, neque signi quidquam, ex quo vivere intelligeretur, præter tenuem halitum, daret; Pater, ùt ipse scripto testatum reliquit, servo DEI, pro filio supplicavit. Precantis vocem audivit Regis, & vitam fugientem puero, cum amissa valetudine redonavit. Idem Beatus anno 1654. Catharinæ *Narit*, quæ nec sedere nec incedere poterat, vires & incessum, piè invocatus, reddidit.

DEUS, in Sanctis suis admirabilis, arcanam sæpe virtutem tribuit rebus vel minimis quas usu, contactúque suo, veluti consecrarunt; ut illa Pauli Apostoli sudaria, in Apostolorum Actis celebrata, declarant. Ad hunc modum, nostrâ memoriâ, tot ægroti contactu vestis, quam DEI servus induerat, è morbis difficilibus emerserunt. Omnes enumerare infinitum esset; notiora quædam exempla persequar. Claudius *Nice* è Fano Sancti Juliani oriundus; & illustris femina, nomine *de Monregard*, cùm adventantem, qua dudum cruciabantur, febrim procul sensissent, pia fixerunt oscula sacræ reliquiarum thecæ, in qua erat inclusa tunicæ servi DEI particula: & iis deinde febris molesta esse desiit. *Varia Miracula contactu ejus vestium patrata.*

Primaria mulier, *de Chanacy* dicta, ex parœcia *de Latte*, miseram filii, duodecim annos nati, sortem insolabiliter lugebat, quem mortis ex acri morbo imminentis metus ità conterruerat ac

Lib. VI. perturbaverat, ut sui vix compos omnem de DEO & salute sempiterna sermonem auribus animóque respueret. Mater furentis capiti frustum è talari Regis tunica imponens, jussit ut sanctissima JESU & MARIÆ nomina pronuntiaret, quod ille præstitit summa quiete corporis, summa animi æquitate: penitúsque ex insano metu & desperatione se colligens, dignam homine Christiano mortem obiit.

Patrem Philippum, Ordinis Præmonstratensis religiosum, angina, febri juncta, ad ultimam vitæ lineam perduxerat Anicii, sexto Idus Quintiles anni 1692. Sacro inunctum oleo Sacerdos novissimis precibus, quas Ecclesia morientibus accmomodat, DEO commendaverat, cùm Lalovesci Parochus, qui tunc Anicii versabatur, decerptam ex eadem veste laciniam ægrotanti admovit. Rediit illico vox, & mens; ac postridie lætus sanúsque surrexit.

Quidquid manibus contrectaverat; ipsæ, quas scripserat, epistolæ; munuscula etiam, quæ inter explicandam populo doctrinam Christianam, dividebat, baculi, quibus iter conficiebat, & alia id genus omnia, mirificam vim ad prodigia patranda contraxerant. Vir nobilis moriens unum ex istis baculis, luculentæ hereditatis loco, liberis suis reliquit; & asservatur etiamnum in familia, tanquam venerabile ac religiosum munus, cujus salutari, ùt sacrarum reliquiarum, virtute, universa regio fruitur.

Sentio longiùs produci seriem tot miraculorum, ac vereor nè submolesta legentibus accidat: nihilominus in gloriam servi DEI peccare me arbitrarer, nisi obiter varias lustrarem provincias, ubi eandem Providentia Numinis illustravit.

Edita in diversis Provinciis ab eo miracula.

In diœcesi Viennensi Elizabetha *Seurie* è pago *de Plas*, cùm laboraret cerebro, sanam illi mentem restituit maritus, indicto Lalovesci sacrificio, in honorem Beati.

In diœcesi Viennensi.

Antonia *de Loge* cùm surgere aut stare præ crurum imbecillitate non valeret; sextum jam annum hærebat in lecto. Rem divinam per dies novem faciendam curavit, sanitatem per merita servi DEI orans, & nono die peracto, integram exoravit.

Turnonii.

Franciscanus, ex iis, qui Conventuales appellantur, nomine *Des Fosses*, auditor theologiæ in collegio Turnonensi, aurium gravitatem, quâ diu laboraverat, injecto in auriculam tumuli Regis pulvere, levavit. Rem gestam idem religiosus, ejúsque confessarius, scripto rite monumento confirmarunt.

Avenione.

Joannes *Abbes*, filius mercatoris Avenionensis, octavum egres-

egressus annum, vocem subitò perdidit. Ad aquas Borbonias devectus, aliísque curatus medicamentis, relevatus non est. Ergo peragratis regni provinciis compluribus, peritissimos artis medicæ consuluit. Verborum illi multum, opis nihil dederunt. Tandem ad tumulum Beati aditurum se promisit: ac momento, stupentibus cunctis, amissam recuperavit vocem; quam ut impenderet agendis illi gratiis, cui beneficium hoc debebat, votúmque rite solveret, Lalovesci, tertio Idus Julias anni 1688. adfuit. Antonius *Blanche*, tabularius Lugdunensis, exaratâ suapte manu schedâ ità de se testificatus est. Cùm carperetur febri continuâ, & ad mortem haud dubiam raperetur, se, concepto profectionis ad Lalovescum voto, statim valuisse. Huic testificationi binas authenticas addo duorum hominum Societatis è Collegio Lugdunensi, quorum alter Lalovescum profectus, alter profecturum se pollicitus, uterque optata sanitate potitus est. *DEUM testor*, inquit illorum alter, *me per quinque sexve annos, dirum in modum plenioris intestini morbo, quem colicum vulgò vocamus, discruciatum fuisse. Tam intolerabilis erat dolor, ut animam acturus crederer, idque singulis ferè diebus, sinè ulla intermissione. Biennium totum vestigandis & usurpandis remediis consumpsi; sanctorum complurium opem, non negligenter, ùt mihi quidem videtur, imploravi. Nihil remediis, nihil precibus, impetratum. Denique Lugdunum missus à meis superioribus, ubi multus erat sermo de mirabilibus donis, quæ DEUS per servum suum P. Regis ad ejus tumulum, mortalibus largiebatur, sensi me singulari erga Beatum pietate ac fiduciâ recreatum, ac statui locum tot prodigiis, tótque morborum clade nobilitatum adire. Illuc delatus, & divino refectus pane, confestim dolore me levatum sensi, & Lugdunum reversus, nihil pristini mali, præter nomen, relictum unquam deinde agnovi. Ità se rem habere testor, Joannes Passinges decimo tertio Kal. Septemb. 1659.* Alter Jesuita, DEO pariter appellato, testatur se, ruptâ venâ, crebro sanguinis profluvio per triennium laborasse. Nihil subsidii repertum in medicamentis, per medicos Parisienses præscriptis, per Lugdunenses, Gratianopolitanos, Massilienses, & Avenionenses, qui ad extremum, nihil spei superesse denuntiarunt. Eò loci redactus, & humana desperans auxilia, divina respexit, ac DEUM, interpositis multorum, quos præcipuè colebat, Sanctorum meritis, enixè rogavit, ut adjutricem è cælo manum porrigeret. Cùm precando, inquit, parùm promoverem, *rescivi nescio*

Lib. VI.

Lugduni.

Lib. VI. *quem simili malo ad sepulcrum B. Joannis Francisci fuisse liberatum. Excitatus hoc miraculo, vovi me profecturum Lalovescum, ibique rem divinam facturum. Juratus affirmo, sanguinem, qui ubertim antea fluebat, subitò stetisse: méque post annos novem, quàm hoc votum edidi, nullum hujus mali vestigium in me deprehendisse. In quorum fidem hoc testimonium subscripsi. Lugduni XIII. Kal. Septemb. 1654. Benedictus Bertod.*

In eadem diœcesi Lugdunensi Benedictus *Cyamperre*, è Pago S. Romani, ob contractos brachii dextri nervos, vehementi dolore conflictatus, promisit peregrinationem ad Sacros Beati cineres, & repentinam sanitatem præmium tulit promissi, quod circa Idus Octobres anni 1654. persolvit, relictâ Lalovesci schedâ, rem gestam testante.

Joanna *Loüë*, ex eodem pago tres è suis liberis Lalovescum deportavit, unum annos quinque; alterum quatuor; tertium duodeviginti menses, natum. Eorum nulli ad eam diem incedendi potestas fuerat; & minimus natu movere caput, vel tollere, præ imbecillitate non poterat; idémque in ipso itinere sic elanguit, ut Lalovescum usque perduci posse mater diffideret. Pervenit illuc tamen cum tribus liberis, & divinam rem faciendam curavit. Ea dum perageretur, minimus natu blandè subridens novum debilibus membris vigorem illapsum ostendit; ejus verò fratres solutis pedibus per templum ingredi, populo admirante, conspecti sunt.

Possem alia multa hujus generis referre, quæ in Lugdunensi diœcesi contigerunt: unum duntaxat addo, quod in ipsa urbe omnium sermone celebratum fuit. Bartholomæi *Satin* mense Junio anni 1692. pectus & stomachus majorem in modum intumuerant. Hebdomadis quinque transactis, crura primùm, deinde femora, in molem immensam excrevere. Pulveris collecti è tumulo servi DEI paululùm aliquid, suo filio datum ab homine Societatis, poculo infusum sumpsit; eodémque puncto temporis dolor, ac postridie, tumor omnis dilapsus est.

In Alvernia.

Anno 1654. in Alvernia & diœcesi Floriopolitana, Joannes *Benoit*, è pago *Carlate*, pertinaci viginti mensium dysenteria, & medicorum judicio letifera, vexatus ac paulatim extabescens: Antonia *Conternet*, itémque Julianus *Magne*, in eadem provincia deplorati à medicis, omnes propitium faustúmque suis malis DEI famulum experti sunt, simul atque ad sacros ejus cineres votivam peregrinationem promisêre. Ve-

Vesuntione Maria Teresa *de Moucband* documentum illustre fuit, quantâ Beatus Regis apud DEUM gratiâ valeret. Intestinus ignis pectus & stomachum depascebat, cujus ardorem temperare nulla medicorum potuerat industria. Animus æger, & vanis terroribus agitatus, corporis augebat ægritudinem. Cúmque, ob insanum mœrorem, sibi aliísque gravis esset, cœtus hominum congressúsque fugiebat. Sed diros conscientiæ impacatæ ac trepidantis angores irritabat solitudo, ac malè oppressus ignis vehementiùs inardescebat. In his angustiis quadriennium exegit. Tot ærumnas cumulavit obtusa, & extincta pæne vox. Repetitus non semel medicorum conatus ad irritum semper cecidit. Ægrota præsidiis humanis orbata, cœlestia quæsivit: sacris peregrinationibus plurimis perfuncta est: cùm tamen nihil ad levationem tot malorum proficeret, miserrimum statum in quem adducta erat, Sacerdoti Societatis dolenter exposuit. Ille auctor fuit ut opem B. Joannis Francisci Regis imploraret. Imploravit. Ignis intestinus, quo exedebatur, extinctus est: discussa caligo turbidæ mentis; conscientiæ tranquillitas, voci claritas, restituta.

Lib. VI. *Vesuntione.*

Futurum confido, ut lector non invitus audiat consignatas litteris testificationes duorum è curia Tolosana senatorum, qui vitam Beato Regis acceptam retulerunt. Amborum testimonia, quæ autographa præ manibus habeo, ad verbum referam.

Tolosæ.

Ego Henricus de Massuyer, *qui nomen meum subscripsi*, *Vicecomes* d' Ambrieres, *Dominus* de Courtensour, *Regius in Tolosano Senatu Consiliarius*, *testor me gravi morbo laborasse sub finem Augusti 1657. Morbi causa febris amphimerina, caput immani torquebat dolore, ac medicorum consultationes, medicamenta, curásque ridebat. Dominus* de Vernhol, *nomine* de Cambolas, *ejusdem curiæ senator, aliquantum pulveris, è gleba sepulcri B. Joannis Francisci Regis, mihi donavit, affirmans huic inesse pulveri compertam multis experimentis prodigiosam vim sanandi morbos gravissimos. Tunc DEUM summis precibus, non negligenter, ùt mihi videtur, obsecravi ut me per servi sui merita sanum vellet. Ità precatus, pulverem in aqua scypho hausi. Abiit dolor, quies somnúsque successit, quo depulso febrim quoque depulsam cognovi, quæ nunquam deinde accessit. Cùm sanitatem hanc, momento mihi concessam, nullo adhibito remedio, naturali causæ nulli assignare possim, miraculis eam annumero. Grati ac memoris animi officio* im-

Lib. VI. *impulsus huic authentico testimonio nomen meum propria manu subscripsi, Tolosæ, octavo Idus Septembr. 1657.* Le Massuyer.

Ego Petrus d' Ambez, *Senator in Curia Tolosana, qui chirographum & nomen meum huic scripto subjeci, profiteor ac denuntio me in summum vitæ periculum febri acutissima fuisse adductum, ità judicantibus, & artem frustrà expertis compluribus medicis, tum ob gravitatem mali, tum ob ætatem meam annorum octoginta. Admonitus de tumuli P. Joannis Francisci Regis pulvere, cui dotem ajebant divinitus inditam ad sanandos morbos vel desperatissimos, eum ab amico meo, Societatis homine oblatum, sumpsi, certa cum fiducia me per Beati viri preces & merita sanandum. Res mira! vix sumpseram, cùm decessit omnino febris, méque puncto ipso temporis sanum valentémque comperi. Tam perfecta, tam subita sanitas hæc fuit, ut eam à nulla naturali causâ profectam arbitrer, cùm remedii nihil præter hunc pulverem admoverim. Ità testor hac schedâ, cui nomen meum & chirographum apposui, Tolosæ, pridie Idus Septemb. 1657.* d' Ambez.

Albigæ. Albigæ doctoris legum uxor, tentata variis morbis, ac præsertim acri capitis dolore, palpitatione cordis, pectoris oppressione, spiritum intercludente; veterno ac stupore, per biennium in lecto decubuit. His accessit vocis jactura, febris lenta & continua, ciborum triste fastidium. Sexto pòst mense, distenta est alvus aquâ intercute; crura obriguerunt, eadem intumuerunt, & ad humeros usque tumor pertinuit. Cùm lectum tolerare non posset, propter spiritûs ducendi difficultatem, in cathedra paulùm quiescebat, sinistro incumbens lateri. Animo identidem linquebatur, ídque per horam integram; eáque defectio tandiu aliquando perseveravit, ut è vita cessisse putaretur. Remediis nullus locus, propter virium imbecillitatem. Itaque sacramentorum novissimorum instructa præsidiis, ad supremum diem rite obeundum se comparabat, cùm à sacerdote confessario suo monita fuit de voto, ab ipsa, Patrem Joannem Franciscum olim invocante, nuncupato, necdum exsoluto. Memini, ait, ac votum renovavit, promissis novem sacrificiis, in honorem Beati celebrandis. Primum inchoatum fuit tertio Nonas Januarii 1678. Antequam fluxissent novem præstituti dies, diffluxit ac diffugit malorum, quibus opprimebatur, agmen, & robusta mulieri constánsque valetudo stetit. Obstupuit universa civitas, quæ tot morbis circumsessam & immobilem, cathedræ per quadriennium diu & noctu coactam insidere, vi-

viderat; cum eandem cerneret, sibi & communi vitæ redditam, Lib. VI.
deambulare, satagere, omnibus publicis ac privatis defungi officiis, perinde quasi morbi nomen omnino nescivisset.

Erat in Apamiensi diœcesi *Sabas*, vir inter suos populares *In diœcesi Apamiensi.* præcipuæ auctoritatis & famæ. Hujus filium contracti nervi ità excruciabant, ut in lecto moveri, nisi adhibita cautione singulari, & curâ, non posset, ac si quem videret accedentem, cohorrescere, edito clamore, metuens videlicet nè ab eo tangeretur. Sin verò quandoque opus esset illum movere, tunc totius corporis fremitu ac tremore quatiebatur. Medici alterutrum fore pronuntiaverant, ut vel morbo conficeretur; vel, si esset superstes, vitam infelicem distortus ac plerisque captus membris traheret. Sacerdote, quem conscientiæ arbitrum habebat, hortante, Beatum Regis, facto voto, appellat. Omnis familia circa ægroti lectum procumbit humi. Nec distulit indulgens patronus audire pii clientis vota. Surrexit æger, nullo adjuvante, sanúsque ac valens constitit.

Quod narraturus sum, nec minus admirationis habuit, nec *In agro Forensi.* levioribus ad faciendam fidem argumentis nititur. Stephanus *Guillermin*, pictor, in oppido Foresiæ, cui Fanum Sancti Stephani nomen est, ilium procidentiâ laborabat ab annis viginti. Hinc sævi dolores, maximè ab octo annis; quippe obortus ad magnitudinem humani capitis tumor, tenaci callo induruerat. Visum medicis malum insanabile, ac periculi plenum; ob eam causam quòd crebris alvi, & intestini plenioris, doloribus cruciabatur æger, quibus debilitatus vitæ metam proximè tangebat. Profectus mense Januario anni 1710. ad Fanum S. Desiderii in Velaunis, distans à Fano S. Stephani leucis tribus, ut pictarum aliquot tabularum formam modúmque delinearet; indè repetens domum, votum ab annis quinque aut sex animo conceptum de pia peregrinatione ad Lalovescum & Regis tumulum suscipienda, solvere constituit mense Majo, & imaginem beati in tabula sex pedes longa & quatuor cum dimidio lata, pingere. Statim se magna morbi parte liberatum sentiens, nocte insequenti placidissimum somnum cepit, ac postridie horâ post mediam noctem sextâ evigilans, intestina suo reddita loco, nec relictum quidem pristini tumoris, vel duritiæ, vestigium reperit. Hoc miraculum ipse pictor, aliíque viginti testes oculati confirmarunt.

Obeundæ mihi singillatim essent omnes provinciæ, ac pro- *Lutetiæ.* pemodum urbes Galliæ, si omnia prodigia in iis, interposito Bea-

Lib. VI. ti viri nomine ac meritis impetrata, recenſere vellem. Primaria Regni civitas cæleſtium ejuſmodi donorum nequaquam exſors fuit. Claudius *de Uroncourt*, è Societate JESU, ab antiqua & illuſtri ſtirpe ortus in Lotharingia, Carolum IV. ejuſdem Lotharingiæ Ducem, cui erat à confeſſionibus, Pariſios euntem anno 1652. Septembri menſe ſecutus eſt. Ibi dum moratur, incidit in febrim continuam, magnis incrementis augeri ſolitam, cujus periculum atrocia ſymptomata declarabant. Nihil, quo levari poſſet morbus, omiſſum eſt. Medicorum ſcientiſſimi ex urbe & aula vocati, cùm naturæ deficientis debilitatem ſuſtentari negarent poſſe, mortis edictum ferale pronuntiarunt. Ab eo tamen æger, licèt ſanctiſſimo jam viatico, & ſuprema munitus unctione, appellavit ad ſervum DEI, quem peculiari colebat veneratione. Appellantem audivit medicus ille potentior, & febre periculóque liberavit. Cum eodem Patre *de Uroncourt*, fui Nanceii annis 1665. & 1666. Beneficium à P. Regis acceptum grato ac memori animo proſequebatur optimus ſenex, octogeſimum tunc annum agens, ejúſque ſanctitatem eximiam magnis efferens laudibus, ægrotos omnes hortabatur ut eum patronum ac deprecatorem adhiberent, à quo ſe valetudini reſtitutum, aut potiùs è media revocatum morte, prædicabat.

Nanceii. Nicolaus *Ponce*, domûs Ducis Lotharingiæ præfectus extabeſcebat, maceratus per menſes decem lentâ febri, quæ in phthiſim, & crebras ſanguinis eruptiones, evaſerat. Pater Uroncurtius, cujus modò mentionem feci, ſuaſit per Quadrageſimam anni 1653. ut ad patrocinium B. Regis confugeret; & ad fiduciam ægroti excitandam, narravit ſibi redditam ſervi DEI beneficio incolumitatem. Promiſit Poncius ſe ad ſacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ acceſſurum quotannis eo die, quo B. Regis migravit in cælum. Pater viciſſim novem ſacra promiſit, & uxor ægroti certas pariter preces, novem diebus à ſe præſtandas. His votis ità peractis, meliùs eſt factum ægrotanti, necdum abſoluto novem dierum circulo, morbo periculóque ſolutus eſt.

In Pedemontio. Pervaſit regiones etiam remotiſſimas fama ſanctimoniæ ſervi DEI, ejúſque apud DEUM gratiæ. In Pedemontio, Andreæ *Gautier* olim militiam ſecuti in legione S. Mauri, crus coopertum erat ulcere immani, cujus longitudo, & par latitudo, menſuram pedis æquabat. Extracta jam fuerant oſſa non pauca, & multum putridæ carnis. Vitioſus humor ulceris ægreſcebat curando; ac depre-

deprehensâ, quæ jam ſerpebat, gangrænâ, & oſſibus carie corrumpi cœptis, crus omnino amputandum chirurgi cenſuerunt. Septimo Kal. Sextiles 1686. æger ſævæ curationis apparatu conterritus, opem B. Regis popoſcit. Ulcus extemplo coaluit; caro ſana, mollis, candida, ùt priùs, apparuit. Lib. VI.

Collegii Bruxellenſis Rectorem menſe Aprili anni 1653. continua febris nec opinantem perculit. Gliſcebat mali vis, & ad ultimum periculum ſpectabat. Jámque Sanctiſſimum Viaticum parabatur, cùm unus è noſtris ægrum rogavit, num placeret votum fieri Sancto Geroldo Martyri. *Imò*, ſubjecit ægrotus, *P. Joanni Franciſco Regis, cujus tot miracula celebrantur:* nihilque cunctatus eundem invocat, glebæ ex ejus tumulo grana pauca in potione ſumit; ejuſdem reliquias è collo ſuſpendit, certas preces quotidie recitandas vovet, quibus addidere proprias collegii Patres, Rectoris ſui morbo mœſti. Somnus ægrum lenis demulſit; ſomnum poſtero die ſecuta eſt integra valetudo. Paucis diebus interjectis Fratrem domeſticis in eodem collegio miniſteriis addictum, lateris dolor vehemens oppreſſit. Deploratum, ultimíſque Sacramentorum ſubſidiis expiatum, ſubiit memoria Rectoris, auxilio P. Joannis Franciſci Regis, morbo recèns liberati; Beati nomen ſpei plenus inclamat, imaginem illius oſculis lacrymíſque perfundit, & optata ſanitate fruitur. Hæc gemina ſanatio quàm integra, tam ſubita, extitit. *Bruxellis, in Belgio.*

Hæc per Belgium audita multorum fiduciam provocarunt. Eodem anno ſoror Canonici Trajecti Superioris, æſtuans obſtinata febri, cujus curationem medici deſperaverant, imaginem Beati admovit pectori, & febrim eodem temporis puncto amovit. Menſe Junio ejuſdem anni mercator Dukercanus, cùm negotii causâ Bruxellis verſaretur, occupatus maligna febri fuit. Ingraveſcente malo, deſperata valetudine, ventum eſt ad ultima, & ſacra morientium remedia. Cùm extremo pæne ſpiritu confligtaretur, mortem vicinam opperiens, promiſit ſacrificium in honorem ſervi DEI faciendum, & convaluit. *Trajecti ad Moſam.*

Cùm DEUS æternis conſiliis decreviſſet, ut ſervo ſuo religioſus aliquando cultus in Eccleſia Catholica tribueretur: idem illius ſanctitatem in urbium principe ac religionis magiſtra, variis teſtatam eſſe miraculis voluit. Duo tantùm proferam, quorum veritatem planè compertam & exploratam habeo. Frater Guillelmus *Coolſaët*, Societatis JESU adhuc ſuperſtes, ſchedam exaravit, *Romæ.*

Lib. VI. eíque nomen ſuum propria manu appoſuit, quam ex Italico ſermone converſam hic diſertè repræſento.

P. Joannes Andreas Serra (inquit) *Procurator Generalis Societatis noſtræ, & cujus tunc Socius eram, lapſus eſt in gravem morbum, anno 1684. annum ipſe agens quartum & ſexageſimum, domi noſtræ Profeſſorum, Romæ. Ardens & aſſidua febris certum laboranti parabat exitium. Arceſſiti medici nihil omiſere quod opportunum expugnando morbo judicarent. Remedia vicit malum, & medentium ſpem evertit.* Quo die negaverant ægrum unquam emerſurum, Pater *Requeſens*, librorum Reviſor pro Aſſiſtentia Italiæ, venit è collegio domum Profeſſorum, eúmque hortatus eſt ut patrocinium Patris Lanuzæ imploraret, Jeſuitæ Siculi, qui magna ſanctitatis opinione, ante paucos annos moriens, floruerat, cujus reliquiarum partem ipſi luculentam obtulit. Æger non magnopere aſſentiri viſus, conticuit. Interjecto unius horæ ſpatio ſubiere medici, & ſacrum Viaticum, ægroto porrigi juſſerunt. Mox cubiculo ad deliberandum egreſſi, rurſum denuntiarunt actum eſſe. Dum inter ſe conſultabant, Pater *Calvo,* qui Aſſiſtentiæ Galliæ negotia procurabat, ægrotum inviſens, ſermonem intulit de Beato Regis, ſuaſítque ut ad eum confugiens promitteret ſe ter ſacrificaturum in honorem SS. Trinitatis, ſi conſaneſceret. Auctor eidem etiam fuit ut infuſum aquæ pulverem, de Beati ſepulcro ſumptum, hauriret. Utrumque fecit æger, & addidit, *ſi convaleſco, aliud quod mihi modò venit in mentem, exequar.* Interim P. *Saraga* Hiſpanus, P. Serræ familiaris, qui frequens eum viſebat, cubiculum ingreſſus, colloquebatur mecum (pergit narrare Frater Coolſaët) cùm ægrotus, horâ pòſt dimidiâ, quàm Beatum Regis invocaverat, clara & magna voce dixit: *Huc aliquis præſtò ſit cum cibo; eſurio.* Hac voce perculſi, ægrotum ſuæ mentis non eſſe, & aliena loqui, credidimus. At ille nos hallucinari ſtatim oſtendit. Quippe, *Iterum dico* ait, *cedo, cibum: de me ſtatuant ac pronuntient medici, ùt lubet; ſanum & incolumem eſſe me certò ſcio.* Poſtridie medicus *Piacenti* ſummo manè ad ægrum accedens exploraro micantis arteriæ pulſu, cùm febrim deceſſiſſe cognoviſſet, quæſivit num ſacro Viatico fuiſſet inſtructus. Negarunt qui aderant, quia meliùs ægro factum erat. Miranti quid rei novæ tam brevi tempore accidiſſet, addiderunt, editum ab ægroto fuiſſe votum Beato Regis. Et ille; *Ah! cùm tales medici*, exclamat, *curandos ſuſcipiunt morbos, nihil mirum eſt eos, uti modò contigit, ſubi-*

ſubitò ac perfectè ſanari. Narrationi clauſulam hanc ſubjicit F. Lib. VI. Coolſaët: Teſtor quæcumque retuli veritati eſſe conſentanea. In quorum fidem chartam hanc ſubſcripſi, quarto Kal. Majas anni 1713. Guillelmus Coolſaët Societatis JESU. P. Serra hunc in modum morbo liberatus, ter ad aram divinâ fecit hoſtiâ, in honorem SS. Trinitatis, utì voverat. Præterea imaginem B. Regis pingendam curavit, quam adhuc videre eſt in Romana Profeſſorum domo. Poſt aliquot annos idem P. Joannes Andreas Serra laboravit hydropiſi letiferâ, quâ cùm opprimeretur, dies quadraginta totidémque noctes in cathedra inſomnes, præter nonnulla quietis intervalla, duxit. Crura primùm peſtis aquoſa inflavit, deinde ſtomachum, poſtremò pectus inundavit, ubi firmata & corroborata medicos impunè ſprevit, qui una voce aſſeruerunt ſpem ſalutis nullam affulgere. At ægrotus, beneficii, per merita Beati P. Regis olim impetrati, memor, ſperavit adfuturam nihilo ſeciùs patroni cæleſtis opem. Ergo delatas ad ſe ſacras ejus reliquias ſæpe deoſculatus, pectori & capiti venerabundus impoſuit, ac leni ſubinde ſomno ſopitus eſt. Sub mediam noctem ingens intercutis aquæ copia erupit, & medicorum, qui defunctum periculo Patrem attoniti affirmarunt, ſententiam integra ſanitas poſtridie ſecuta confirmarunt. Romana Profeſſorum domus tota duplicis hujus miraculi teſtis fuit, neutriúſque veritatem in dubium ab ullo fuiſſe revocatam ſuperſtites adhuc è noſtris nonnulli mihi teſtati ſunt. P. Joannes Andreas Serra vultum Servi DEI altera in tabella pingendum curavit, eámque miſit Aretium, qua in urbe collegium Societatis tunc aperiebatur.

Anguſta erat Europa gloriæ ſervi DEI: Oceanum tranſgreſſa, novum ad Orbem permanavit. Quebeci, Angelica *Brugiere* cùm liberis careret, operam unà cum marito, navabat virginibus DEO conſecratis, quas vulgò appellant Hoſpitalarias. Ea caput lapidi, qui camini ſpiraculo inſtar frontis prætenditur, tam validè impegit, ut è vulnere magna vis ſanguinis gravi cum dolore prorumperet. Mox vitiatus cruor, è cerebro defluens in ſtomachum, & purulento vomitu effuſus, vitam in præcipiti eſſe monſtravit, & ſexto Idus Decembris 1695. deſperata planè ſalus ægrotantis fuit. Sacrarum virginum una, præcipuo erga ſervum DEI ſtudio affecta, certas illi novem dierum preces obtulit, ut laboranti feminæ propitius eſſe vellet. Quintus, è novenis, dies jam fluxerat, & morbo ingraveſcente, ſacro inuncta erat oleo, medicis *In Canada.*

Lib. VI. poſtridie ſuperſtitem fore negantibus. Non abjecit animum virgo pro ægrota deprecatrix : quin potiùs eò majorem in ſpem erecta, quò ſpei minus oſtendebatur, imaginem ſervi DEI è mulieris collo ſuſpendit, cum exiguo tumuli pulvere in reliquiaria theca incluſo ; perſeveravítque ſupplicare, quamvìs ægra quatriduum totum luctans cum morte, loci nihil precibus relinquere videretur. Jam exibat nonus precum votivarum dies , & exhauſta viribus , doloribúſque confecta , ruere ad certiſſimum interitum, recrudeſcente malo, cœpit. Ecce autem ſub mediam noctem clamorem immenſum tollit : ſimul toto corpore intremit, manat è membris omnibus ſudor, diris convulſionibus agitatur , corde miſerum in modum palpitante. Viſi ſunt ultimi illi naturæ deficientis niſus. Itaque inſerta in manus benedicta face , inſtabant piæ virgines, ut morientem idoneis ſermonibus adjutarent , cùm ſubitô , attonitis omnibus, *Tollite*, exclamat ſereno vultu , *tollite funebrem hunc apparatum ; vivo , ſana ſum.* Rogata quid accidiſſet novi , *Cùm doloribus omnium graviſſimis premerer* , inquit, *adeſſe viſus eſt P. Regis , quem dum intentis oculis contemplor* , *Macte* , ait, *vivis DEI beneficio , & mea deprecatione. Tum crucem , quam manu gerebat , capiti meo leniter incuſſit : hinc ille , quem edidi , clamor.* Tantum effata, & in ſomnum placidè caput demiſit: quem cùm reliqua cepiſſet nocte, evigilavit omnino ſana, & in templum ad ſacram menſam acceſſit. Continuò in monaſterium effundi civitas ; obſtupeſcere omnes, cùm ſtare ac valere cernerent, quam pridie oppreſſam morbo, & ſupremum ad iter comparatam , norant. Sacras urbis ædes diebus inſequentibus luſtravit, ut debitas Numini gratias, & liberatori ſuo perſolveret.

Goa, in India. Ex America in Aſiam , è Quebeco Goam tranſeo. Illuc quoque fama ſervi DEI ſanctitáſque pervênit: & hîc mihi narrandi tot miracula finis eſto.

Puellam dudum graves & aſſidui conſumebant morbi, omni ſpe convaleſcendi ademptâ. S. Franciſci Xaverii opem ſæpe imploravit, ſed fruſtrà ; perinde quaſi Apoſtolus miraculorum gloriam in ipſa India partiri voluiſſet cum uno è ſuis fratribus, quem Apoſtolicæ ſuæ vitæ perfectiſſimum imitatorem habuerat. Ergo, poſt invocatum B. Regis patrocinium, ægrota dum intereſſet rei divinæ, revocatas vires, morbos ad unum pulſos , ſeque omnibus liberatam incommodis læta ſenſit.

Quis verò perpetuam tot miraculorum ſeriem , à ſervi DEI obitu

obitu ad noſtra uſque tempora, illius meritis ac precibus tam conſtanter editorum, conſiderans, divinam bonitatem non admirabitur, quæ religioſi viri, non alio quàm ſimplicis Miſſionarii nomine inſigniti, memoriam tam illuſtribus in utroque Orbe monumentis conſecrare gaudet? Armandus *de Bethune* Anicienſis Epiſcopus, multis à Beato Regis beneficiis affectum ſe judicans, & populi adverſus eum pietatem ac venerationem tot prodigiis accenſam, in dies magìs increbreſcere videns, rationem inire cœpit, quemadmodum in Sanctorum numero collocari poſſet. Utque res è legibus & præſcripto Sanctæ Sedis conficeretur, edixit anno 1676. ut quæſtio de viri ſancti virtutibus & miraculis, è juris Eccleſiaſtici formulis inſtitueretur. Accidit interim ut ipſi ab Occitaniæ comitiis imponeretur provincia deferendi ad Regem commentarium de ſtatu negotiiſque regionis. Itaque curam iſtius quæſtionis & cognitionis commiſit Melchiori *de Chabanes*, ſuo Generali Vicario. Ille, cum Jacobo *le Breton*, doctore Sorbonico, & Mauritio *le Blanc* Juris Canonici doctore, legitima excepit teſtimonia civium Anicienſium, duorum & viginti, genere ac probitate præſtantium, qui cùm uſi fuiſſent familiariter Patre Regis per annos complures, de illius vita pronuntiare diſtinctiùs poterant. Illi, dicto ad ſanctorum Euangeliorum codicem ſacramento, teſtimonium perhibuerunt, de heroicis virtutum facinoribus, quæ in ſervo DEI conſpexerant: prolata inſuper in medium fuere miracula permulta, idoneis auctoritatibus comprobata. Quibus peractis, Vicarius Generalis, cum adjunctis ipſi doctoribus, rem geſtam in Acta rite perſcripta retulit, quæ anno ſequenti ad ſacram Rituum Congregationem ab Epiſcopo ſunt miſſa. Hic aditus in cauſam patefactus excitavit ſtudia civitatum, quæ ſervo DEI peculiaribus quibuſdam beneficiis erant obligatæ. Laboratum ab iis diligenter fuit ut cælitibus annumeraretur. Litteras ad Innocentium XII. dedere, quibus ſuffragati ſunt Rex Chriſtianiſſimus, Cardinalis Bonzius, viginti duo partim Archiepiſcopi, partim Epiſcopi, legati quadraginta urbium, & univerſa nobilitas Occitaniæ. Innocentius XII. ut ad ſacram Rituum Congregationem referretur cauſa, permiſit, ac Ponentem nominavit (ità vocant qui ejuſmodi cauſas delectis judicibus proponit, eáſque regit & gubernat) Eminentiſſimum Cardinalem *Imperiale*. Hæc nominatio fortunatum omen extitit negotii bene gerendi, quod ſapientiſſimus Cardinalis non minori ſtudio, quàm prudentiâ induſtriáque, feliciter adminiſtravit.

Agitur de illo in Album Sanctorū referendo.

Rex, Epiſcopi, civitates, proceres Occitaniæ, urgent Canonizationem apud ſummum Pontificem.

Lib. VI. Post excessum Innocentii XII. Clemens XI. viri sancti virtutibus permotus, itémque populorum summis precibus, ac præsertim Regis Christianissimi urgentis atque instantis impulsu, negotium dedit anno 1702. Archiepiscopo Viennensi, & Episcopis Aniciensi ac Valentino, quorum in diœcesibus diutiùs versatus est DEI famulus, ut de illius virtutibus accuratè cognoscerent.

Examen virtutum B. Joann. Franc. Regis.

Tres illi præsules Apostolicâ muniti auctoritate, in rem præsentem venerunt; lustratísque locis in quibus Missiones obierat, ac testibus gravissimis & integerrimis rite atque ordine interrogatis, nova de virtutibus & miraculis viri sancti Acta conscripserunt. Hæc, itidem ùt alia priùs confecta, cùm ad exactissimam severioris examinis trutinam fuissent expensa, & à Sacra Congregatione Rituum approbata, Pontifex provinciam dedit viginti circiter Cardinalibus, totidémque Consultoribus, tum Prælatis, tum religiosis, ut expositas in Actis virtutes accuratè inspicerent ac ponderarent; ipse miraculorum examen aliud in tempus rejecit. Ab istis Cardinalibus & Consultoribus per annos decem plurimæ congregationes ordinariæ, atque extraordinariæ, sunt habitæ, ad præparandam atque explorandam causam: ab iisdem toto isto tempore severum examen institutum fuit ac rigidissima censurâ de factis, quæ in binis Actis erant exposita. Præterea Comes de Lambertinis, Fidei Promotor, Prælatus insigni eruditione ac vigilantiâ, dum suo munere impigre fungitur, sexcentas, nunc super factis, nunc super ipsis probationibus, difficultates comminisci, atque objicere; omnia excutere, omnia oppugnare, non destitit. Objicienti responsum est pari diligentiâ: scripta scriptis opposita; nodis, quos alios ex aliis suggerebat, intexebátque, solutiones adhibitæ.

Declarat summus Pontifex virtutes P. Regis gradum heroicum assecutas.

Post examen tam laboriosum, tam diuturnum, Pontifex Idibus Martiis 1712. totius negotii rationem reddi sibi jussit in Congregatione coram se indicta: in qua omnes Cardinales & Consultores, uno consensu renuntiarunt virtutes viri sancti, quæ exponebantur in duobus Actis, videri sibi planè probatas, & gradum heroicum assecutas. Pontifex non contentus illorum audivisse suffragia, rem per se se attentiùs consideravit & expendit: ac demum ope divina implorata, Sancto Paschatis die, sexto Kalendas Apriles anni 1712. post divina mysteria, quâ solet pietate, in Basilica Principis Apostolorum celebrata, declaravit edito solemni Decreto Patrem Joannem Franciscum Regis tres virtutes Theologicas Fidem, Spem, & Caritatem, nec non quatuor Cardinales, Pruden-

dentiam, Justitiam, Fortitudinem, ac Temperantiam, in gradu heroico exercuisse. Concepta Decreti verba subjicio. Lib. VI.

DECRETUM
De virtutibus B. Regis editum die 27. Martii 1712.
Festo Paschatis Resurrectionis Domini Nostri JESU CHRISTI.

SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER, absoluto sacro solemniter à Sanctitate sua celebrato in Basilica Principis Apostolorum, statim ac ad suas solitas Mansiones Palatii Vaticani reversus fuit, advocavit ante prandium Dominum Advocatum Prosperum de Lambertinis, Fidei Promotorem, ac me infrà scriptum Protonotarium Apostolicum, modò exercentem Vices R. P. D. Secretarii Congregationis Sacrorum Rituum, nobísque dixit, elapsis diebus, videlicet die XV. currentis Mensis propositam fuisse in Congregatione habita coram Sanctitate sua Causam Viennen. in Gallia Beatificationis, & Canonizationis Ven. servi DEI Joannis Francisci Regis Presbyteri Societatis JESU, discussóque in ea dubio: An constet de Virtutibus ejusdem servi DEI tam Theologalibus, scilicet Fide, Spe, & Charitate, quàm Cardinalibus, nimirum Prudentiâ, Justitiâ, Fortitudine, & Temperantiâ, earúmque respectivè annexis, in gradu heroico, in casu, & ad effectum, de quo agitur: Sanctitatem suam distulisse resolutionem, ad effectum exposcendi priùs in re tam ardua Divinum lumen. Cùm autem id Sanctitas sua jam fecerit, ac potissimùm hac die Resurgentem Dominum humiliter exoraverit, ut cœlesti claritate mentem suam illustrare dignaretur: quacumque idcirco majori cunctatione postpositâ, suffragiis in eadem Congregatione latis inhærere se velle declaravit, adeoque super præmisso dubio, promulgari mandavit responsum affirmativum: Constare de Virtutibus tam Theologalibus, quàm Cardinalibus, earúmque annexis, in gradu heroico, in Casu &c. & ità, &c. *Decretū de virtutibus B. Regis.*

G. CARD. CARPINEUS.

Loco † Sigilli.

C. Collicola Protonotarius Apost. modò exercens vices R. P. D. Secretarii Congr. Sac. Rituum.

Lib. VI. Hoc Decretum ad B. Joannis Francisci Regis gloriam eò præclarius est, quòd Apostolica Sedes ab annis ferè quinquaginta nullius servi DEI virtutes gradum heroicum adeptas pronuntiavit, licèt sacra Rituum Congregatio per tot annos multorum insignium virorum res gestas examinaverit, qui cum opinione sanctitatis decesserunt.

Examen miraculorum. Hoc Decreto de virtutum B. Regis excellenti præstantia promulgato, jussit Pontifex, ut ad miracula examinanda procederetur. Quo loco temperare mihi non possum, quin de Protestantium Romanam Ecclesiam iniquissimè accusantium calumnia expostulem, cujus criminantur facilitatem & indulgentiam in Sanctorum honore hominibus probis deferendo, & numero cælitum parùm cautè ac prudenter augendo. Ad calumniam hanc diluendam satis esset docere, ab Alexandro III. qui circa medium seculum XII. in Sancti Petri solio sedebat, hoc est ab annis ferme sexcentis, vix numerari septuaginta fidei catholicæ cultores, quibus sacri honores decreti fuerint; cùm antea, & jam indè à primis Ecclesiæ temporibus, Episcopi cum populo magnum eorum numerum singulis seculis cælo assererent.

Huc adde quòd, cùm agitur de tribuendo cuipiam servo DEI sanctorum cultu, Sedes Apostolica tam severum instituit examen ad librandas suis ponderibus & dijudicandas ejus virtutes, ut quamvìs esset peculiari Numinis auxilio destituta, falli tamen & errare tunc, etiamsi ad humanæ tantùm prudentiæ amussim res perpendatur, nullo pacto posset. Quippe non contenta vulgari virtute in iis, quos cooptat in ordinem Sanctorum, heroicam requirit; & quamvìs ad probandam hanc virtutis excellentiam adhibeat fidem, oculos, gravitatem, & jusjurandum integerrimorum testium, non satìs id argumenti esse putat, nisì testimoniis humanis accedant divina; nisì vocibus hominum heroica facta testantium, ipsius DEI vox, loquentis per miracula, suffragetur.

Quanta severitas adhibeatur in isto examine. Neque tamen quisquam existimet omnia promiscuè miracula & sinè delectu, recipi: nullum cautionis & industriæ genus prætermittitur ut à falsis vera discernantur. E centum miraculis Congregationi sacræ ante aliquot annos oblatis ad insignem virum numero sanctorum adscribendum, unum duntaxat approbatum fuit: neque ulteriùs progredi antè placuit, quàm DEO placuisset nova miracula, quibus judicium sanctæ Sedis firmaretur, operari. Non pigebit hic attexere quod accepi ab homine, qui propter dignitatem

tem

tem & auctoritatem multorum instar testium esse potest. Anglus nobilis cùm Romam venisset, quidam è Romanis Ecclesiæ proceribus, quos Prælatos vulgò vocant, veteri amicitia cum illo junctus, legenda ipsi præbuit Acta, in quibus complura miracula idoneis fulta probationibus, erant perscripta. Legit hæreticus attentè, nec sinè voluptate: mox libellum amico reddens, *Egregiam sanè*, inquit, *ac planè certam probandi miracula rationem. Si omnium, quæ ab Ecclesia Romana prædicantur, veritas tam certis, tam authenticis, nixa fundamentis esset, nihil causæ diceremus, quin iis omnino assentiremur; eòque pacto effugeretis ludibria & jocos, quibus vestra illa, quæ venditatis, miracula cavillamur. Atqui scito*, respondit Prælatus, *ex istis quæ tibi tam probè videntur fundata, miraculis, nullum à sacra Rituum Congregatione approbatum fuisse, quoniam non satis probata sunt visa.* Calvinianus inexpectato responso attonitus, fateri non dubitavit, neminem, nisì perversâ & cæca præventum opinione, posse prudentiam & æquitatem Romanæ Sedis, in sanctis cælitum numero adscribendis, desiderare; nec sibi unquam venisse in mentem suspicari tantam cautionem ac diligentiam ab ea, in examinandis ipsorum miraculis, adhiberi potuisse. Lib. VI.

Ut ad B. Joannis Francisci Regis miracula redeamus, illustrissimus Fidei Promotor, omnem rigidissimæ censuræ ad ea observanda & enucleanda accurationem attulit. Viginti circiter Cardinales ac totidem consultores, quà Prælati, quà Religiosi toto triennio in iisdem singulari studio curáque ponderandis & excutiendis desudarunt: nec nisi post tot examina, tot annos, tot censuras, summus Pontifex approbavit ex iis, quotquot erant ad Beatificationem Servi DEI necessaria.

DECRETUM
De Miraculis B. Regis.

Die 28. Aprilis 1715. Dominicâ in Albis horâ circiter 16. Sanctissimus D. Noster Clemens Divinâ Providentiâ Papa XI. in Palatio Quirinali advocavit R. P. D. Prosperum de Lambertinis Fidei Promotorem, & me infrà scriptum Pro-Secretarium Congregationis Sacrorum Rituum, nobísque dixit, ela- *Decretũ de miraculis B. Regis.*

 psis

Lib. VI. psis diebus, videlicet die 2. labentis mensis, in Congregatione habita coram Sanctitate sua propositam fuisse à Reverendissimo D. Cardinali Imperiali causam Viennen. in Gallia Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servi DEI Joannis Francisci Regis Presbyteri Professi Societatis JESU, discussóque in ea dubio: *An constet de miraculis post obitum in casu, & ad effectum, de quo agitur.* Sanctitatem suam audivisse quidem omnium suffragia, sed distulisse resolutionem, ut priùs de more in tam ardua deliberatione Divinam opem imploraret. Nunc verò cùm id jam peregerit, ac præsertim præteritis diebus majoris hebdomadæ, ac successivè Paschalibus Festis, supremum luminum Patrem ferventiùs exoraverit ut cælesti claritate mentem suam illustrare dignaretur, declaravit, se nolle diutiùs differre publicationem suæ resolutionis, adeóque promulgari jussit Decretum, in quo pronunciavit: *Constare de duobus miraculis tertii generis, nempe de primo repentinæ liberationis Joannæ Mariæ Peret, Monialis à diuturna inferiorum artuum ad motum impotentia, & hydrope tympanite; ac de quarto instantaneæ sanationis Joannis Gasparis Montercymar Aniciensis ab enormi hernia.* Et ità, &c.

Fr. Card. de Abdua Præfectus.

Loco † Sigilli

N. M. Tedeschi Episcopus Liparitanus S. Rituum Congregationis Pro-Secretarius.

DECRETUM
De Beatificatione Beati Joannis Francisci Regis.

Decretũ de Beatificatione B. Joan. Francisci Regis.

CUm postquam aliàs, nempe die XV. Martii 1712. in Congregatione Generali Sacrorum Rituum habitâ coram Sanctissimo Domino Nostro, Domino Clemente Divinâ Providen-

videntiâ Papâ XI. propositâ per Reverendissimum D. Cardinalem Imperialem Causâ Viennens. in Gallia, Beatificationis, & Canonizationis Venerabilis Servi DEI JOANNIS FRANCISCI REGIS Presbyteri Professi Societatis JESU, discussum fuisset dubium: *An constaret de Virtutibus ejusdem servi DEI tam Theologalibus, scilicet Fide, Spe, & Charitate; quàm Cardinalibus, nimirum Prudentiâ, Justitiâ, Fortitudine, & Temperantiâ, earùmque respectivè annexis, in gradu heroico, in casu, & ad effectum &c.* Sanctitas sua die 27. ejusdem Mensis Martii Resurrectioni Dominicæ sacrâ, decreverit *Constare de virtutibus tam Theologalibus, quam Cardinalibus in gradu heroico &c.* Ac subinde, postquam scilicet priùs, nempe die secundâ Aprilis 1715. in ipsa Generali Congregatione habita coram Sanctitate sua propositum fuisset in prædicta Causa aliud dubium: *An constaret de Miraculis post obitum ipsius Servi DEI in casu, & ad effectum &c.* eadem Sanctitas sua die 28. prædicti Mensis Aprilis pronunciaverit: *Constare de duobus Miraculis tertii generis, nempe de Primo repentinæ liberationis Joannæ Mariæ Peret Monialis à diuturna inferiorum artuum ad motum impotentiâ, & hydrôpe tympanite; ac de Quarto, instantaneæ sanationis Joannis Gasparis-Montercymar Aniciensis ab enormi hernia.* Demum verò iterum habitâ Congregatione Generali præfatâ coram eodem Sanctissimo Domino Nostro die tertiâ Martii currentis anni, in eàque per prædictum D. Cardinalem Imperialem proposito dubio: *An stante approbatione Virtutum, & duorum Miraculorum tutò procedi posset ad ipsius Servi DEI Beatificationem.* Dicta Congregatio unanimi omnium consensu *affirmativè* respondendum esse censuerit; verùm dictus Sanctissimus Dominus Noster resolutionem de more distulerit, ut in re tam gravi, & maxima cum maturitate pertractandâ, antequam quidquam decerneret, tam suis, quàm aliorum precibus Divini luminis opem imploraret.

His jam abunde impletis, Sanctitas sua, accîtis infrà scriptâ die coram se R. P. D. Prospero de Lambertinis Fidei Promotore, ac me prædictæ Congregationis Secretario, ut memoratus Servus DEI JOANNES FRANCISCUS REGIS piè ac palàm à Christi Fidelibus coli possit, ac Societas JESU, quæ illum protulit, de Ecclesia Catholica cæteroquin optimè merita, præclaro hoc addito nomine, in dies magìs illustretur, præsens Decretum Beatificationis ejusdem JOANNIS FRANCISCI per litteras Apostolicas in

 for-

Lib. VI. formâ Brevis cum consuetis Indultis quandocumque faciendæ, expediri, & publicari mandavit. Hac die VII. Maji 1716.

F. Cardinalis de Abdua Præfectus.

Loco † Sigilli.

N. M. Tedeschi Episcopus Liparitanus
Sac. Rit. Congr. Secr.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS
Divinâ providentiâ
PAPÆ XI.

Beatificatio servi DEI JOANNIS FRANCISCI Regis Sacerdotis professi Societatis JESU, ejúsque Missæ, & Officii certis in locis concessio.

CLEMENS
PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Beatificatio B. Joan. Franc. Regis.

VIROS gloriosos, qui divites in virtute, adepti sunt gloriam in conversatione gentis, hoc est; sanctos, & electos Domini, quos clarioribus multiformis suæ gratiæ charismatibus exornavit Divina dignatio, laudandos esse monet Spiritus Sanctus. Decet siquidem eis, quos æternus Judex immarcescibilis gloriæ coronâ donat in cælis, & quorum Sanctitatem sequentibus signis testatam facit in terris, debitæ venerationis cultum etiam à fidelibus exhiberi, ut sapientiam ipsorum narrent popu-

populi, & laudem eorum nuntiet Ecclesia. Hos inter, cùm longè, latéque refulserit DEI servus Joannes Franciscus Regis Sacerdos Professus Societatis JESU, qui nimirum virtute indutus ex alto, portánsque jugum ab adolescentia sua, pœnitentiæ austeritatem cum innocentiæ candore usquequaque conjunxit: ac jugiter dilatante cor ejus Spiritu Sancto, in omnibus exhibuit seipsum sicut DEI Ministrum, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in scientia, in suavitate: præcipuè verò in charitate non ficta, quâ in DEUM, & proximos mirabiliter æstuavit; Apostolici muneris, quod Nos, viribus licèt, & meritis longè impares, gerere voluit Altissimus, ratio exigit, ut illius honorem ac venerationem, ad Omnipotentis DEI gloriam, Catholicæ Ecclesiæ decus, Christianíque populi spiritualem ædificationem, quantùm Nobis ex alto conceditur, promovere studeamus. Cùm itaque maturè, diligentérque discussis, atque perpensis per Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum processibus rite, ac rectè confectis super vitæ Sanctitate, & Virtutibus heroicis, quibus idem Servus DEI Joannes Franciscus multipliciter claruisse, nec non miraculis, quæ ad ejus intercessionem, & ad manifestandam hominibus illius sanctitatem à DEO patrata fuisse asserebantur, eadem Congregatio coram nobis constituta, auditis etiam Consultorum suffragiis, uno spiritu, unáque voce censuerit posse, quandocumque Nobis videretur, prædictum servum DEI BEATUM declarari, cum consuetis indultis. Hinc est, quòd nos piis, atque enixis quamplurium Venerabilium Fratrum Archiepiscoporum, & Episcoporum Regni Galliarum, ac potissimùm Provinciæ Occitaniæ, nec non dilectorum filiorum Magistratuum, Procerum, & Populorum Provinciæ hujusmodi, ac totius insuper Societatis JESU supradictæ, supplicationibus (quas dudùm etiam claræ memoriæ Ludovicus XIV. dum viveret, Francorum Rex Christianissimus, devotarum suarum precum accessione roboraverat) Nobis super hoc humiliter porrectis paternâ benignitate annuentes, de memoratorum Cardinalium consilio pariter, & assensu, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium indulgemus, ut idem DEI Servus JOANNES FRANCISCUS Regis in posterum BEATI nomine nuncupetur, ejúsque corpus, & Reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur; imagines quoque radiis, seu

Lib. VI.

Lib. VI. ſplendoribus exornentur, ac de eo recitetur Officium, & Miſſa celebretur de Confeſſore non Pontifice ſingulis annis, juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani, die XXIV. Maji, cùm dies XXXI. Decembris, quâ ipſe Servus DEI ſpiritum Creatori reddidit, & aliæ plures illam ſubſequentes, ùt notum eſt, impeditæ reperiantur. Porrò recitationem Officii, & Miſſæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus in locis duntaxat infraſcriptis, videlicet; in Oppido de *Foncouverte* Narbonenſis Diœceſis, in quo dictus Servus DEI natus eſt, in Pago *Lalovesci*, Viennenſis Diœceſis, in Delphinatu, unde ad cælos evolavit, & ubi venerabile ejus corpus requieſcit, ac in Civitate Anicienſi, in qua plurium annorum ſpatio, & penè uſque ad ſuum obitum habitare conſuevit, ab omnibus utriuſque ſexûs Chriſti fidelibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, nec non in univerſa Societate præfata, & quantum ad Miſſam attinet, etiam à Sacerdotibus ad Eccleſias ejuſdem Societatis confluentibus. Prætereà primo duntaxat anno à datis hiſce literis, & quoad Indias à die, quo eædem literæ illuc pervenerint, inchoando, in Eccleſiis Oppidi, Pagi, Civitatis, & Societatis hujuſmodi reſpectivè ſolemnia Beatificationis ejuſdem Servi DEI cum Officio, & Miſsâ ſub Ritu Duplici majori, die ab Ordinariis reſpectivè conſtitutâ, & intrà ſex menſes promulgandâ, poſtquam tamen in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe celebrata fuerint eadem ſolemnia: pro qua re, ſupradictam diem XXIV. currentis Menſis Maji aſſignamus, pariter celebrandi facimus poteſtatem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac decretis de non cultu editis cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earundem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu Secretarii prædictæ Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & ſigillo Præfecti ejuſdem Congregationis munitis, eadem prorsùs fides ab omnibus, & ubique tam in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die octavâ Maji MDCCXVI. Pontificatûs Noſtri Anno XVI.

Fr. Card. Oliverius.

IN-

INDEX.

LIBER I.

LIBER II.

LIBER III.

De-

LIBER IV.

LIBER V.

LIBER VI.

(o)

FINIS.